D. JOHANNIS HARTMANNI ... OPERA OMNIA MEDICO-CHYMICA. IN...

Johann Hartmann,
Johann Georg Pelshofer

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI S. D.

QUanto medicamentorum narcoticorum, hoc eſt, eorum, quæ morbos ipſos vel cauſas morbificas immediatè quidem non reſpiciunt, ſæviſſima tamen ſymptomata, quæ cum plurimis morbis conjunguntur, maxima ex parte retundunt & mitigant, atque, ut natura, viribus quodammodo recollectis, cauſam morbificam tantò feliciùs aggredi, & è corpore expellere queat, faciunt, præſtantia ſit & dignitas, cuilibet manifeſtum eſſe arbitror. Inter ea verò omnium excellentiſſimum juxtà ac efficaciſſimum eſſe OPIUM, liquorem illum papaverinum concretum, apud omnes peritiores Medicos in confeſſo eſt: ſiquidem id, rectè & præparatum & uſurpatum, ſpecificâ & peculiari quadam proprietate omnis generis dolores, fluxiones, vigilias, commotiones & inquietudines mirificè compeſcit & ſubigit. Unde & inter reliqua medicamentorum compoſitorum genera, ob multiplicem uſum ac ſimplicium ingredientium varietatem, præcipuum locum meruerunt antidoti Opiatæ, ab Opio, velut à baſi & maximè efficaci ingrediente, ſic dictæ: quales, præter alias complures, quarum ultra octuaginta, magnificis inſignitas titulis, deſcripſit Nicolaus Myrepſus Alexandrinus, aliàs Præpoſitus dictus, ſunt Philonium Meſuæ, Philonium Perſicum ejusdem, Philonium majus ſive Romanum Nicolai, Philonium Tharſenſe Galeni, Athanaſia magna Nicolai, Requies Nicolai, Aurea Alexandrina, Tryphera magna Nicolai, Pilulæ de Cynogloſſa, & inprimis magnæ illæ, à Galeno in lib. de antidotis potiſſimùm celebratæ, confectiones, antidotus Damocratis Mithridatica, & quæ ab hac originem traxit, Theriaca Andromachiana, Medicinarum Matres Petro Aponenſi dictæ.

Cùm igitur tam præclara alexipharmaca ab Opio non ſolùm denominationem; ſed & præcipuam ſuam vim obtineant, ut magni nominis Medicis non præter rem viſum eſt; & verò de Opii qualitatibus, ejusque corrigendi & præparandi modo, ac uſu, multùm etiamnum controvertatur: aliquod operæ pretium & rem multis gratam me facturum exiſtimavi, ſi Dn. D. HARTMANNI, Chymiatri quondam clariſſimi, de Opio tractatum, quem ante annos viginti in Academia Marpurgenſi cum auditoribus ſuis communicavit, in publicum emitterem, utpote in quo plurima, quæ ad ὀπιολογίαν ſpectant, cognitione & diſquiſitione digna, accuratè & eleganter diſcuſſa & enodata inveniuntur. Tu, Lector benevole, hanc operam meam Boni publici causâ ſuſceptam boni conſule, eâque interim fruere, donec etiam meam de Opio commentationem, quam certas ob cauſas aliquandiu adhuc premo, in publicum prodire patiar. B.V. & fave. Scribe. Wittenbergæ, 25. Julii, Anno 1635.

JOHAN. GEORGIUS PELSHOFER, D.

DE OPIO.

UNiverſa Opii contemplatio Phyſico: Medica nec melior, nec brevior fieri poteſt, quàm quæ de ejus hiſtoria, hoc eſt, natura & uſu, ita agit, ut ad utrumque ex ſenticetis tenebrarum eruendum diligenti admodum perveſtigatione conſtans opinor laudabilisque acceſſio fiat iis rebus, quæ Medico vadimonium faciunt exquiſitum ſalubriùs faciliusque operandi.

Hoc etenim temporis, quod agimus, breve, quod acturi ſumus, dubium, quod egimus, certum exiſtit. In locupletandis itaque rebus Medicis diſpicere par eſt, ubi præſens occaſio admonet, ut licet fontium, in quibus exantlandis ingenua ingenia laborent, ſentebræ ſint profundiſſimæ, nuſpiam tamen defatigari ceſſemus amphoram trudere, haut fruſtra toties rediturain, quin ſemper aliquid laude dignum ex inexhauſtis naturæ ſcaturiginibus reciprocando egerat. Nec OPIUM, quantumvis à pauciſſimis rectiùs, à pluribus infeliciùs tractatum & habitum, à naturæ theſauris tàm ſterile, tàm exoletum credimus, at, quia venenorum cenſui id accenſitum eſt antiquitus, parum aut omninò nihil abditi in ipſo ſibi reſervaſſe ſtatuamus id, quod nunquam deſinit facere, quod optimum eſt. Sed longè diviniora ex eodem pollicentur ſibi illi, qui abducto à factionibus animo, ſoli ſtudent rerum internæ veritati, nec in abſtruſis, ceu ſæpe aliàs fieri ſolet, ſe patiuntur εἰς τὸ δυνατὸν ἀνάγεσθαι, priusquam exploratis, quæ in Ente medico ſitæ ſunt, viribus, rerum corpora ſolvant, attollant, deprimant, addant, doment, torqueant, dirigant.

Quicquid id eſt, quomodo à decantato & inter mortifera recenſito Opio tàm inſolentes injuriæ propulſari, ejusque vera natura & uſus legitimus in Hygieæ & Panaceæ delubrum poſtliminio reduci poſſit, breviter rationes detegam, & hujus neceſſarii inſtituti compendio, complexurus omnia, quæ de Opio diſputari poſſunt, hâc ejus definitione:

OPII DEFINITIO.

„*Opium eſt liquor viſcidus, ex capitum papaveris*
„*exteriori cuticulâ, ſtato anni tempore inciſa,*
„*profluens, amarus & calidus, ob lentum & fœ-*
„*tidum ſulphur ſtupefactivus, proptereaq; no-*
„*xius, hoc tamen artificiosè penitus ablato, &,*
„*quæ reſidua eſt, eſſentiâ Chymicè exaltatâ, in*
„*ſaluberrimum anodynum, quod Laudanum o-*
„*piatum vocant, concedens.*

Hæc definitio, ex ligatâ cauſarum compoſitione orta, inſtar faſcis omnia comprehendit, quæ de Opio ſcitu digna, aut perneceſſaria ſunt. Cæterùm quia aulæa evoluta magis, quàm involuta, delectare conſueverunt, διδασκαλίας χάριν cauſarum ſingularum diductione illa omnia, quæ de Opio tractando ſuſcepimus, explanabimus.

Cauſas facimus duûm generum: Externas, Efficientem & Finem: Internas, Materiam & Formam; quibus annumeramus ea, quæ unamquamque proximè conſequuntur. Sic efficienti notationem nominis locumque natalem adſcribimus: ad finem referimus præparationem & uſum. Formæ verò qualitatis momenta attribuimus. In his igitur univerſa occupabitur hæc de Opio commentatio. De ſingulis ordine primum formabimus theoremata, conceptus univerſales de ſubjectâ materiâ ſimpliciter conſideratâ, vel compoſitè. Deinde problematicè excutiemus omnia dubia, quæ vel ſcientiam de Opio obſcurant, vel admodum ſpinosè etiam de eodem moventur. Utrobique autem ſtudebimus brevitati, quæ res æquet verbis, & demonſtrationes certas pro Nectare habeat.

THEOREMA I.

Vox Opii modificata eſt; haut iſti ſucco propria. Arbitrio itaque Veterum tanquam per excellentiam id nominis accepit.

Exegeſis.

Nominibus utendum eſſe neque ſuperſtitiosè, neque ſupinè, ex *Ariſt. Top. I.* monet Scaliger *Exerc. 81. ſ. 2.* Τὸ ὄπιον igitur ἀπὸ τοῦ ὀποῦ, hoc eſt, à ſucco, generali vocabulo ſic à quibusdam veteribus ſuperſtitiosè appellari cœpit, tanquam is ſuccus, qui eſt ὀπὸς μήκωνος, (ſic enim vocatur ab Hippocrate *2. de morb. mul.* & à Dioſcoride, *lib. 4. cap. 63. & lib. 6. cap. 17.*) id eſt, papaveris, præcelleret, & præ aliis κατ' ἐξοχὴν id nominis mereretur.

Quæſtiones.

I. An ὀπὸς ſimpliciter & per ſe apud Hippocratem ſit opium?

Negamus. 1. Enim τοῦ ὀποῦ nuſpiam meminit: neque etiam apud Græcos veteres τὸ ὄπιον reperitur: ut à Latinis tantùm, præſertim Plinio, excogitatum eſſe videatur, quod poſtea in civitatem Græcorum aſſumtum in Lexicis obſervatum eſt, pro ſucco nempe papaveris. 2. Hippocrates in hâc ſignificatione pro ſucco papaveris per ſe τὸν ὀπὸν nuſpiam uſurpavit, ſed idipſum vel pro ſilphio ipſo, quod eſt laſer, vel pro ejus ſucco, vel pro ejus ſemine interpretatus: Id quod Galenus in explicatione ad *lib. de rat. vict. in acut. & 2. de morb. item 1. de ſimpl. medic. facult.* & in *Lexico Hippocratico* ſtudiosè obſervâſſe videtur. Per ſe itaque vocabulum τοῦ ὀποῦ, apud Hippocratem poſitum, ſilphium reſpicit, liquorem papaveris. Indeque Hippocrates *2. de morb. mul.* ὀπὸν μήκωνος πινόμενον, ſuccum papaveris epotum, & paulò pòſt in eodem contextu ὑπνωτικὸν μηκώνιον cum additione nominat.

II. An Dioſcorides & Galenus τῷ ὀπῷ ſimplici ſignificatione uſi ſint pro Opio?

Neg. Dioſcorides, ſuprà citatis locis, inprimis verò *lib. 6. c. 17.* περὶ μήκωνος ὀποῦ agens, ſemper ad ὀπὸν addit μήκωνος, ut inde nempe notum faciat, τὸν ὀπὸν abſolutè ſeu peculiari ſignificatione ſaltem de papaveris ſucco, id eſt, Opio à ſe nuſpiam adhibitum eſſe. Idem Galenum in ſuis commentariis feciſſe legimus. Τοῦ ὀποῦ ſæpiſſimè uſus eſt vocabulo, nominatim in *l. 3. de comp. medic. ſ. l.* ubi agit de ventriculi morbis. Nuſpiam tamen adhibuit τὸν ὀπὸν absq; adjectione alius, cujus nempe is liquor fuerit.

III. Vtrum Opium à Dioſcoride rectè vocetur δάκρυον, lacryma, à Plinio verò ſapor?

Diſting. Dioſcorides in fine dicti *cap. 63. lib. 4.* ubi de ὀπισμοῦ, id eſt, de collectione Opii agit, oportere ſcribit ἀποψᾶν τὸ δάκρυον ἐπερχόμενον δακτύλῳ εἰς μυάκα, hoc eſt, detergere deſtillantem lacrymam digito in conchulam. Sed ibidem liquorem papaveris ad inſtar lacrymæ vel gummatis concretum intelligit. Imitativè itaque ſeu παρωνύμως in eo loco locutus eſt. Deinde

Plinius *lib. 20. c. 18.* de Opio, id eſt, ὀπῷ μήκωνος agens: *E nigro*, ait, *papavere ſapor gignitur, ſcapo inciſo conturgeſcens.* At, parum curioſum extitiſſe Plinium in differentiis vocabulorum Lacrymæ, Succi, Saporis, Liquoris &c. obſervandis, extra controverſiam eſt. Sic paulò pòſt *in eod. cap. Succus & hic*, inquit, *& herbæ cujuscunque lanâ excipitur, aut, ſi exiguus eſt, ungue pollicis.* Minùs itaque propriè locutum eſſe conſtat Plinium. Quin imò Latina lingua excuſationem meretur; utpote quæ Græcâ anguſtior ſit, quantumvis inter eaſdem voces, de quibus nobis quæſtio eſt, Græci accuratè & quidem meritò diſtinxerint. Lacryma itaque propriè, ſeu δάκρυον, ex plantâ ſponte ſuâ deſtillat. Liquor, ὀπὸς, exſectâ, caſtratâ, terebratâ plantâ, quaſi ſanguis apertâ venâ, emanat. Succus, χυλὸς, ex totâ plantâ, vel ejus parte conciſâ, tuſaque, vi exprimitur. Sapor, χυμὸς, intus latet, & ſolâ arte extrahitur. Hinc, utrum Opium his aliiſque nominibus promiſcuè appellari poſſit, & debeat, non poteſt non eſſe notiſſimum.

IV. Utrum apud veteres ὀπὸς ſit lac, ſeu fici ſuccus lacteus?

Affirm. Hippocrates *lib. 4. de morb. penè circa fin.* ubi loquitur de humore in hominibus colliquato, ac deinceps in ſe incraſſato ſeu concreto, donec morbum pepererit, quam affectionem ait habere cum lacte affinitatem: ἐπὴν τις ὀπὸν, inquit, ἐμβάλλει ἐς τὸ γάλα, ψύξις, γενομένη ἐπ' αὐτῷ τῷ γάλακτι, συνεπάχυνε τὸ γάλα: *ſi quis coagulum in lac injecerit, frigiditas in eo oborta lac incraſſat.* Quæritur itaque, cùm abſolutè ibi poſitum ſit vocabulum ὀπὸς ab Hippocrate, utrum ſignificet liquorem Laſeris, quem alioquin ab Hippocrate καθ' ὑπεροχὴν paulo ante oſtenſum eſt intelligi *quæſt. 1.* Certè de liquore papaveris id affirmari nequit: de Laſere verò ambigitur. At quantumvis à Theophraſto *lib. 6. de hiſtor. plant. cap. 3.* & Plinio *lib. 19. cap. 3.* Laſer vocetur Lac & ſuccus lacteus: ad coagulum tamen lactis illum ſuccum laſerpitii nuſpiam adhiberi vel adhibitum eſſe à veteribus conſtat. Imò, qui ſuccus bibitur contra concretum in grumos lac, teſte Dioſcoride, *lib. 3. cap. 85. de Laſerp.* idem ad id coagulandũ ineptus eſt. Veteres itaq; etiam coagulũ lactis ὀπὸν vocârunt. Hujus ſententiæ eſt verſiculus Empedoclis apud Plutarchũ περὶ πολυφιλίας.

ὡς δ' ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐγόμφωσ' ἠδ' ἔδησε.

Sicut coagulum lac candidum conſtringere ſolet & compingere:

ad imitationem Homeri, Iliad. E.

ὡς δ' ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐπειγόμενος συνέπηξεν,
ὑγρὸν ἐόν.

Ut cum lac album coagulum agitatum condenſavit, liquidum exiſtens.

Sed qualiſnam ille ſuccus fuerit, fidem faciunt 1. Euſtachius, ut qui in dicto Homeri loco exponit ὀπὸν τὸ γαλακτῶδες τῆς συκῆς, i. e. lacteum fici ſuccum, & τὴν πυτίαν coagulum. 2. Dioſcorides *lib. 1. cap. 140.* & ex illo Plinius *lib. 23. cap. 7.* Fici ſuccus lacteus aceti naturam habet: itaque coaguli modo lac contrahit. Item ex Varrone *lib. 2. de ruſt. cap. 11.* Alii pro coagulo addunt de fici ramo lac, & acetum aſpergunt, item aliis aliquot rebus, quod Græci alii appellant ὀπὸν, alii δάκρυον. Ὀπὸς itaque eſt etiam ſuccus fici lacteus. Has igitur ſignificationes olim accepit vocabulum ὀπὸς, à quo Opium, quod ſolum liquorem illum ex ſectis papaverum capitibus emanantem, & inſtar lacrymæ concreſcentem, ſignificat.

THEOREMA II.

Opium ſincerum & præſtans olim mittebat regio Thebaica, Ægypto contermina. Unde adductum Thebaicum dicitur. Hodie ex Cairo Ægypti, & Adena tractu Arabiæ, ad mare rubrum ſito, inſuper ex Syria & Alexandria advehitur. Plurimum ex India orientalis Cambaia & Decan in vicinas regiones, exindeque in cæteras Terræ partes, exportatur, quod plerunque in uſu eſt.

Conſectarium.

Natale itaque ſolum opii non unum idemque eſt, ſed multiplex: Nec maxima pars Europæ noſtræ non ſufficere poſſet, quin idem produceret, quandoquidem papaveris ſatione hinc & inde abundante gaudet.

Exegeſis.

Græci autores plerumque Opium Aſianum vocant, quod primùm in Aſia fieri cœperit. Vocant & Achaicum, quod ex Achaia in reliquam Græciam olim importatum fuerit. Hodiè apud Orientales cultura ejus maximè celebris eſt, indeque inter mercimonia Medica reliqua in alias regiones venit. Thebaicum olim fuit probatiſſimum. Quod nominis quidem Opium hodiè in officinis retinet, ſed vix dum illâ regione natum. Quippe noſtra hâc ætate nec exinde affertur, nec, quod affertur, ſincerum eſt.

Quæſtiones.

I. An opium Thebaicum Thebis proveniat?

Reſp. Negamus. Thebaicum enim dicimus à regione, quæ Ægypto & Æthiopiæ contermina olim mittebat Opium. Urbem itaque Thebarum hoc nomen non deſignat, ſed regionem, in qua fiebat Opium, poſtea etiam inter merces urbis Thebarum relatum, ac exinde exportatum.

II. An Opium in Cairo, Syria & Alexandria fiat?

Reſp. Aff. Sic enim teſtantur autores. Hodiè regiones iſtæ & urbes Mahumetano parent imperio. Parum itaque conſtat, utrum rectiùs ibi præparetur. Sunt, qui Cairi, quæ eſt Ægypti civitas, olim Babylon, à Babyloniis iſthuc commigrantibus ædificata, a Strabone Ægypti caſtellum appellata, hodiè quoque Opii collectionem ſinceram fieri velint, quod Mecheri vocant. Maximam ejus partem Alexandria adulterat. Illud enim albicat; hoc autem, quod è Syria & Alexandria venit, nigricat. Longè itaque vilius Cairiano. Iſti accenſendum eſt opium, quod hodie Aden ex Arabia felici mittit.

III. An ex Cambaia, & Decan afferatur?

Aff. Cambaia ut & Decan & Concam ſunt regiones Indiæ Orientalis fertiliſſimæ, itaque perpetuis commerciis omnium populorum celeberrimæ. Hæ regiones producunt prægrandi capite papaver (carcax vocant, nomine Arabibus communi) quod intra ſuam cavitatem ſextarium cum dimidio, hoc eſt, uncias medicas 36. aquæ capere poteſt. Unde magnam ſatis Opii ubertatem provenire credibile eſt. Hoc mollius eſt, & inſtar ſucci roſacei flaveſcit, ac maxima ex parte in Malvi Cambaiæ regionis provincia colligitur. Atque hoc idem eſt, quod noſtro ſeculo, propter frequentiores negociationes Europæorum in Indiam, univerſæ Europæ ſubminiſtratur, in uſum maximè venit. Cæterùm quoniam Thymelæam aliquantulum olere videatur, nonnullis veriſimile fuit, id hujus ſucco adulterari. Sed totam Cambaiam, imò, Indiam, Thymelæam non producere, autor eſt Garcias ab Horto *lib. 1. hiſt. arom. c. 4.* nec ibidem opium aliud, quàm genuinum papaveris gummi ſeu lachrymam, eſſe teſtatur.

IV. An Opium præparetur hodiè in Turcia ſeu Natolia?

Reſp. Aff. Parent enim Turcis illæ regiones omnes, quæ olim invento opio primitus faverunt. Nec veroſimile eſt, hodiè ejus præparationem ibidem deſiiſſe, cùm [pretioſum ſit, & Turcis admodum familiare, proptereaque multum lucri mercatoribus inde acquiratur. Petrus Bellonius *lib. 3. obſ. cap. 15.* in Turcia, Acharæ, Caracharæ, Spartadæ, Emetetindæ, aliiſque oppidis Paphlagoniæ Cappadociæ; Ciliciæ, Armeniæ, item minoris, & Gallogræciæ, Opium in maximâ copiâ fieri, indeque paſſim in Perſiam, Indiam, & Europam exportari, partim per univerſum Turcicum imperium diſtribui, ipſe αὐτόπτης teſtatur. Subtiliſſ. Scaliger *exerc. 175.* ex Nicolao Brixiano, ſtabulis Regis Navarræ præfecto, auditione accepit, in Ponto, Bithynia, Cilicia, ex albo papavere fieri opium, eoque ſeri paſſim multos agros longè lateque, promique ad uſum familiarem, qui etiam Turcis ipſis frequentiſſimus ſit.

V. An Opium in Europâ, Galliâ & Germaniâ, fieri produciq; poſſit?

Reſp. Dubitamus. Petr. Bellonius *allegato loco* affirmat; nobis certè minùs poſſibile videtur. Opio enim producendo maximo opus eſt calore & ſiccitate, quibus Aſia & tota India inprimis abundat. Calor maturationi, cœli ſiccitas collectioni inſerviunt. Pluvioſum enim cœlum, quale ſæpe eſt Europæum, ſucci profluentis condenſationem impedit. Collectio itaque minùs opima, aut ferè nulla, inde ſequetur. Papaveris quidem culturam forſan tàm magnam & fertilem æq; in Europâ fieri, ac in cæteris opii natalibus, oſtendit largus ejus per omnium regionum campos proventus: ſed quia nec papaveri noſtro ea eſt, quæ in illis regionibus, facultas, nec cœli inclementiã abarcere poſſumus, utiq; de cofectione opii in Galliâ, Germaniâ, Italiâ, nihil eſt, quod ſperemus. Galliæ & Italiæ clima cũ Natolico climate proximè quidẽ frigiditate convenire non negamus; ſed non tam quæſtio eſt de convenientia, quàm de aëris ſiccitate, quæ colligendo opio perquam neceſſaria eſt. In Apulia, regione Italiæ mari Adriatico conterminâ, aridâ & ſiccâ, rarè dicuntur pluviæ cadere, ac papaver album ibi, nominatim v. in Ducatu Parmenſi copioſè ſeritur: quin imò capita papaveris iſthinc ad officinas provenientia lituris ſuis conſpicua ſunt, ut veriſimile ſit, ex illis lachrymam collectam fuiſſe. Sed utrũ illa vero opio facultatibus ſuis æquiparari poſſit, nondum docuit experientia. De proventu itaque Opii in ſolo Europæo ſentetniam ampliare ſatius eſt, quàm temerè aliquid pronunciare.

THEOREMA III.

Materia Opii eſt viſcoſus humor, ſpontè poſt levem inciſionem capitum papaveris recentium ex iis inſtar lacrymæ profluens, qui deinceps ſæpius promanando ubi coaluerit collectus, & in paſtillos coactus, materiam Opio ſuppeditat.

Conſectarium.

Opium itaque ſincerum non niſi fluxu liquoris papaverini coalitum colligitur; nec ex ulla alia materia illud fieri poteſt.

Exegeſis.

Materiam opii, ex qua nempe id eſt, dicimus viſcoſum iſtum humorem, quem è ſciſſura capitum papaveris recentium profluentem, ac ſemetipſum condenſantem, meſſores colligunt. Ex hoc itaque ſolo concreto humore lacrymam ac exinde Opium fieri, nec alius cujuſcunque liquoris id debere eſſe particeps, materiæ neceſſitas requirit.

Quæſtiones.

I. An Meconium ſit Opium?

Neg. Utrumque quidem eſt ex papavere; ſed differunt modo confectionis. Opium profluit tantum ex inciſis bulbis, & eſt liquor: Meconium ex totâ ſubſtantiâ papaveris exprimitur, & eſt ſuccus. Ideoque Dioſcoridi *lib. 4. cap. 63.* hoc ἀδρανέστερον τοῦ ὀποῦ, id eſt, viribus multò ignavius eſſe ipſo opio, dicitur.

II. An Amfiam ſit Opium?

Reſp. Aff. Sunt enim cognata nomina, & quidem ex eorum familia, quorum, ut ait Scaliger *exerc. 175. ſ. 1.* vices commutare, Ariſtoteli παραλλάττειν, animadvertuntur. Eſtque illud nomen Luſitanicum, quemadmodum Offium Mauritanicum, quod maximè ad Græcum ὄπιον accedit. Arabes enim pleraque nomina à Græcis mutuati ſunt. Quod itaque ὄπιον eſt Græcis, id eſt amfiam Luſitanis, & Offium Mauritanis, liquor nempe iſte papaverinus, cujus naturam inquirimus.

III. An Aſſeral ſit Opium?

Reſp. Neg. Scaliger *exerc. 154.* Turcos, inquit, prælium inituros ex Aſſeral vorare aliquantum, quò alacres ac periculorum evadant contemptores. Idem *ibid.* non Aſſeral, ſed Maslach ab aliis autoribus vocari affirmat. An verò utrumque ex Opio ſit, expreſsè haut innuit Scaliger: proximè tamen pro Opio concludere videtur. Strychni enim Manici iſthæc nomina an ſint, dicit ſibi incompertum eſſe, ſed ex affinibus & amicis ſuis illud pro vero non dubitanter affirmare audet, Opium, in multis agris Aſiæ ex albo papavere ſativo expreſſum, eſſe toti Orienti in quotidiano uſu, ad animi, ut ajunt, commoda comparanda. Itaque ſubtilitatum Magiſter, ex paribus facultatibus unius & ejusdem finis ſeu uſus, Aſſeral & Maslach eſſe Opium, ratiocinari videtur. Id quod *exerc. 175. ſ. 1.* quodammodo manifeſtum fit. At Maslach Turcarum nec Opium eſſe, nec ex eodem confici, demonſtrandum erit paulò pòſt. Sed & Aſſeral nec Maslach, nec opium eſſe, peculiaris ejus & differens ab utroque tùm materia tùm præparatio fidem facit. Aſſeral autem eſt ſpecies Bangues, quæ ab Ægyptiis Aſſis dicitur. Materia ipſius ſunt folia plantæ, quæ confirmante Garciâ *lib. 2. exot. plant. hiſtor. cap. 25.* cannabin repræſentat: cujus quoque ſemen idem ferè eſt cum illius ſemine, niſi quod magis exiguum, nec tàm perinde candidum ſit. Ex ejus foliis in pulverem redactis cum aqua levi præparatione fiunt paſtilli, quibus poſtea veſcuntur ad conciliandam ebrietatem, mentiſque quandam peregrinationem. Semen v. cum foliis Indi devorant, ut in Venerem procliviores reddantur. Cæterùm hæc Bangues in Natolia ſeu Turcia nec creſcit, nec fit, ſed ex India & Ægypto advehitur. Quod autem Turcis Aſſeral dicitur, id Ægyptiis eſt Aſſis, paulò conſimilibus inter ſe nominibus.

IV. An Turcarum Maslach ſit Opium?

Neg. Ex papavere enim non conficitur; nec itaque meconium eſt, nec opium: propterea que ex his non conſtat. Scaliger *dictâ exerc. 154.* Aſſeral ait dici Maslach, ac illud ex opio fieri non obſcurè innuit. Quercetanus *cap. 24. pharm. Dogm. reſt.* Maslach Turcarum pro Opio habet. Sed Turcarum Aſſeral non eſſe Maslach, nec ex opio confici, proximè præcedens quæſtio diribitione certâ monſtravit. Nunc oſtendendum eſt, Maslach non eſſe Opium, nec ex eo fieri. Quod dum molior, operæ precium mihi videor facturus non contemnendum, ſi obſcuram Turcici Maslach naturam, id eſt, materiam ejusque præparationem, d[illegible]ntiùs propoſuero. Perpauci enim ſunt in Turcia, q[illegible]d nôrunt, nec ex omnibus ſcriptoribus præter unum Le-

onhar-

onhardum Turnheuſerum *lib. 1. cap. 29. herbar.* hactenus inventus eſt, qui iſtius rationem reddere potis fuerit. Maslach itaque eſt pretioſus clyſſus cervariæ, a Mezenis ſacerdotibus Turcicis ex eâ plantâ ſingulis 12. annis ſemel, in Draconitide regione, inter deſertum Dibbin & urbem Dan ad radices Libani, diligenti cum obſervatione temporis, & non niſi ſolis ipſis apparente præparatione, factus, poſtmodum ad excitandum cupiditates animi & corporis maximè nobilis.

Dicimus itaque, Maslach eſſe clyſſum Cervariæ, id eſt, eſſe ſpeciem quandam ex ejusdem plantæ ſpeciebus ſeorſim elaboratis compoſitam. Cervaria communiter ita dicta, *die ſchvvartze oder rothe Hirſchvvurtz*, eſt ἐλαφίβος, hoc eſt, cauda cervi. Statim enim poſteaquam in vere germinare incepit, profert à terra comam copioſam & ſpiſſam repræſentantem figurâ ſua caudam cervi. Hæc planta annumeratur vulgò ſtirpibus ferulaceis. Itaque nonnulli cum Peucedano confundunt, alii inter Seſeli referunt, ac Æthiopicum hoc quoque inſigniri ajunt. Turcis Arabibus dicitur Mus, Paracelſo vocatur Cauſimon, item Thymelæon, & ἄγναος δαίμων. Tota planta naſcitur è radice exterius ſubnigricante, ſed interius ſubflaveſcente, eſtque inſtar maſtichis triti odora. Caulem emittit gracilentum, cavum, & inſtar liguſtri articulatum. Folia ex parili interne diorum ſitu utrinque æqualiter prominent, ſuntque læviga ta, & craſſa, aliquantum rotunda, & per ambitum leviter ſerrata, ceu in petroſelino conſpiciuntur, ex colore viridi in luteum deſinût, ſuntq; boni odoris. Flos eſt umbelloſus & albicans. Semen eſt copioſum, anguloſum, pene ut ſemen angelicæ, coloris ſuaviſſimi, ſaporis verò acerrimi. Gignitur in locis montoſis, ubi præſertim feræ ſylveſtres ſtationibus ſuis gaudent, quæ lubentiſſime hac planta veſcuntur: ut nullo modo dubium ſit, hanc plantam eſſe eam, quâ Plinio *lib. 8. c. 32.* cervæ ante partum purgantur. Ex hac itaque planta conficitur Turcarum Maslach, (cujus præparatio apud ipſos vulgaris haut eſt, ſed arcana, & ſolis ſacerdotibus Mezenis in ſecretis habita, quam ab omnibus aliis, etiam domeſticis, ſingulari ſtudio abſconditam tenent.) h. m. Colligunt ſingulis annis, in fine menſis Augusti, vel initio Septembris, ♀ præſertim vel ♃ ſignũ Leonis percurrente, ſemen, quod magna cura aſſervatum, & ſæpius aeri expoſitum, eventilant, ne noxam aliquam aut mucorem contrahat. Redeunte porrò præparationis ſolenni duodecennali tempore, collectum & hactenus curioſe cuſtoditum ſemen omne tundunt, & exprimunt, oleumq; inde per torcular expreſſum ſervant. Deinde ☉ medietatem fermè Leonis emenſo, magnam quantitatem iſtius plantæ recentis cum tota ſubſtantia & floribus convehunt. Ex radice contusa exprimunt ſuccum; folia, caulem, & flores aqua fluminis Jordani coquunt, & ubi refrixit, ſupernatantem mucilaginem caute auferunt. Ex ſeminis oleo expreſſo, ex ſucco radicis, & mucilagine hujus plantæ deinceps famoſum illud Maslach concinnant. Recipiunt enim mucilaginis iſtius p. iij. olei & ſucci ex radice partes ſingulas. Has invicem miſtas in ſitula cum operculo foraminibus hinc inde pervio inſolant, eamque per machinulam cum rudiculis transverſim infrà duplicatis, ſuprà cum aſſerculis càcellatis, à vento inſtar rotulæ truſatilem, continuò movent, donec nempe partes omnes invicem probè miſtæ in ſuccum exſudatum tranſeant. Hujus inſpiſſati clyſſi ſeu Maslach drachma j. apud ipſos vænit 20. aſpris. Magnitudine unius fabæ in hydromelite diſſolutum & ſumtum Maslach è veſtigio animoſitatem homini mirabiliter excitat, quandoque furibundis ſimiles facit, ut ſumentes, quaſi extra ſeſe rapti, præſertim in bellis, nullum periculum, quantumvis maximum, reformident. Facit præterea pronos in Venerem. Verùm hujus ſumtioni à teneris aſſueſcendum eſſe, ipſa ratio dictitat. Secus enim periculo haut vacat. Quo modo Opii naturam quoque imitatur, quo copioſiùs nemo veſci poteſt, niſi idipſum ab ineunte ætate conſuetudine, quæ ſæpe in alteram naturam tranſit, didicerit. Cæteroquin Maslach nec opium eſt, nec papaveris familiam ullâ cognatione attingit.

V. Utrum Opium ex papavere nigro, an albo fiat?

Diſting. Dioſcorides, herbariorum Sybilla, ut appellatur à Scaligero *exerc. 155.* & ab eo cæteri ad unum omnes, papaveris ſpecies ex ſativo & ſylveſtri diſtinguunt, qualibuscunque efflore ſcat comis. Nos iſta mittimus, & quandoquidem Opium ex papavere ſativo fit, illudque ſemine turget vel albo, vel nigro; quærimus, quodnam ex ipſis colligendo Opio magis in uſu fuerit. Ex capitibus utriusque tam albo, quàm nigro, turgentis papaveris ſemine illud fieri, controverſum haut eſt; quantumvis nec idem planiſſimum ſit apud omnes. Dioſcorides *lib. 4. cap. 63.* ex nigricantis ſeminis papavere opium magis refrigerare ait. Hinc igitur à contrario ſenſu, quod ex albo fit, hebetius ad refrigerandum eſſe oportet: quapropter idem ex utroque fieri tacitè innuit. Matthiolus in comm. ſequitur Dioſcoridem. Ruellius *lib. 3. c. 105. de nat. ſtirp.* & R. Dodonæus *pempt. 3. lib. 4. cap. 16. ſtirp. hiſt.* ex nigro papavere confici Opium dicunt, imitati Avicennam *lib. 2. cap. 256.* quorum Dodonæus eligit illud, quod albo ſimile eſt, ſed capitulo aliquanto rotundiore & magis globato, idque Dioſcoride, Plinio, Galeno teſtibus aſſirmat. Cæterùm collectum quidem ſit Opium ex nigro papavere veteribus, id quod non diſputamus: fidem verò facit nobis hodiè Cambaia & Natolia. Carcax enim illud prægrandi capite papaver, ex quo Opium copioſè colligitur in India, præſertim in Malvi regione Cambaiæ, nigrum non eſt, ſed album, nec in tota Cambaiâ nigrum reperitur. Eo autem Opio hodierno tempore nos uti, nec aliunde, vel rarariſſimè, advehi, ſuprà oſtenſum eſt. Acharæv. Carachara, Spartadæ, Emetelindæ, aliisque oppidis Paphlagoniæ, Cappadociæ, & Ciliciæ, agros papavere, unde fit ibi opium, conſertim conſeri, autor eſt Bellonius. Concludimus itaque, ex albo Opium colligi elegantius, noſtrisque temporibus uſitatius.

VI. Utrum ex caule, an capitibus papaveris?

Aff. poſterius. Caulis enim ad incidendum etſi non eſſet inidoneus, non tamen tam copioſum ſuccum promeret, nec tàm dextræ collectioni inſerviret. Plinius *lib. 19. c. 8.* ex ſcapo papaveris nigri inciſo lactum exprimi ſuccum ſcribit. Scapum verò claſſicis autoribus pro caule frequenter uſurpari conſtat. Ex caule itaque videtur Plinius Opium collegiſſe. Reſp. Scapus pro caule communiter in uſu eſt: ſed etiam dicitur idem capſula, in qua ſemina quarundam herbarum dependent, ut in papavere. Eadem capſula in arundinibus, avellanis, glandibus panicula vocatur. Plinius, itaque eo loci ipſum papaveris caput intellexit. Sunt, qui ſub calice papaver incidi ajunt. Per calicem intelligunt coopertorium ſeminis, quod ſanè in papavere non eſt, niſi bulboſum illud caput, inciſioni & profundendo liquori aptiſſimum.

THEOREMA IV.

Formam Opii ſeu principium eſſentiale, quo nempe Opium, ut demus, haut eſt in noſtra poteſtate; in fine tamen ac officio continuitatis, quomodo illud contineatur, hoc eſt, quomodo fiat & ſit, per δείξεως *adumbrare poſſumus.*

Exegeſis.

Opium cùm ſit viſcidus humor, ex levi ſciſſurâ capitum papaveris promanans: hunc ſolum legitimum fluxum pro exiſtendi principio habeo. Coagulatio verò ejusdem & genuina in paſtillos, ſine alius rei adulteratione, conformatio idem perficit: quantumvis nuſpiam tam immune ſit, quin ſubdolam adulterationis manum experiri poſſit. De eſſentiali principio Opii idem profitemur, quod penè de omnibus omnium rerum eſſendi modis imbecillitatem humanam torquet. Neſcimus enim, aut ſi ſciendi deſiderio tenemur, in externis tamen immorari cogimur. Papaveris formam, hoc eſt, ejus immaterialitatem, ſimplicitatem, poteſtatem, perfectionem, informationem, quis unquam nominavit? De Opii itaque formâ internâ nemo tam felix fuerit, qui eandem nobis enunciare queat. Quomodo itaque Opium colligendo fiat, & quomodo ſincerum ſeu haut permiſtum maneat, ſaltem exquirendo, ignotæ loco formæ, conſiderabimus.

Quæſtiones.

I. Quomodo conficiatur Opium?

ὀπισμὸν ſeu lactei liquoris papaverini collectionem Dioſcorides ſæpe dicto *cap. 63. lib. 4. med. mat.* & ex eo Plinius *lib. 20. cap. 28.* ſcitè docet. Illum verò modum adhuc in omnibus regionibus, ubi Opium colligitur, obſervari, recentiorum ſcripta fidem faciunt. Eſtque ejusmodi: Capita papaveris recentia, immatura tamen, & ſucco prægnantia, matutino tempore, poſteaquam rores à ſole exaruerint, cultello in aſteriſci formam leviter inciduntur, ne nempe vulnus altiùs penetret. Hinc liquor lacteus, continuò emanans, & identidem concreſcens, digito in conchulam ſubjectam detergitur ungue. Id v. tamdiu factitandum fuerit, quàm diu plagæ liquorem profundunt, & ex noviter deinceps inciſis recentes lachrymæ coaleſcunt. Ne verò à collectoribus & operæ & plagæ impedimenta capiant, neceſſe eſt, ut operarii retrogrado itinere hæc omnia abſolvant. Bellonius *lib. 3. obſerv. cap. 15.* eſſe, ait, qui liquoris hujus denas libras colligant, alios ſex, nonnullos plures vel pauciores, pro operarum nempe, quas in colligendo adhibent, diligentiâ: Hoc enim negocium in latifundii ſatione non verſari, ſed in legentium numero & diligentia. Ex iſtis lachrymis collectis poſtea coguntur paſtilli, 3. 4. 5. vel 6. uncias pendentes.

II. An Opium adulteretur.

Succulenta, & quæ à medicamentariis in paſtillos coguntur, rariſſimè ſincera ſunt, ſed ſubinde fraudibus ſubjiciuntur, quibus vel ipſa habendi Cupido, vel etiam temeritas locum ſubminiſtrat, ut nimirum aucto pondere auctius quoque pretium exinde redundet. De Opio certè nullum eſt dubium, quin identidem mangonio quodam interpoletur, quo apud venalitiarios pluris væneat. Quomodo verò & quibusnam rebus adjectitiis adulteretur, meritò quæritur. Dioſcorides ſæpius dicto *cap. 63. lib. 4.* omnium primus hanc impoſturam detexit. Dicit enim, vel glaucio, vel gummi, vel agreſtis lactucæ ſucco adulterari. Quin imò, adipem ſeu ſevum à nonnullis eidem admiſceri, ipſe affirmat. Quidam opium cum ſucco chelidonii temperari ajunt, id quod facilè fieri poſſe non negavero. Sed cùm glaucium ſeu memithe, ex depravata Serapionis lectione, *cap. de curcum* falsò pro chelidonio majore accipiatur ab iisdem, hanc opinionem inde originem traxiſſe potiùs credidero, quod opium etiam à ſucco chelidonii adulterari poſſit.

III. An & quomodo Opii adulteratio poſſit deprehendi?

Aff. utrumque. Nec enim perſpicax & ingenioſa rerum perveſtigatio fraudulentas manus ignorare debet, quin collatâ ſinceritate dolum facilè deprehendat. Duplici verò modo adulteratio Opii oſtendi poteſt: uno vulgari, altero artificioſo. Poſtremum hunc oſtendam infrà, ubi de præparatione ♀is fœtidi egero. Priorem, à Dioſcoride primùm adinventum, omnes hactenus Opii recenſitores docent. A *glaucio* n. fucatus color diſſolutionem (quando in aqua vel aceto diſſolvitur) Opii croco ſimilem reddere dicitur; qui tamen non usquequaque certum indicium parit. Quod enim Opium ex Cambaia affertur, & quidem noſtro hoc ſeculo copioſum, molle & roſacei eſt coloris, tincturamque ferè croceam oſtendit; ſed glaucium in Cambaia ſuccreſcere, nemo hactenus ex ſcriptoribus Indicis aſſeruit: multo minùs itaque eodem ibidem adulterari poteſt; niſi velimus in hanc ſuſpicionem trahere ſolum iſtud opiũ, quod ex Aſia exportatur, quale ſanè Opium Dioſcoridi tantum innotuiſſe videtur. Quod Opium *lactuca* vitiavit, illud ajunt evanidum ſpirare, & majorẽ præ ſe ferre aſperitatem. Sed aſperitas ſeu inæqualitas poteſt etiam Opio evenire cuicunq;. Paſtillos enim Opii coactos frondibus & foliis involvunt: unde inæquales & aſperi fiunt; illud autem nullum alium in finem, quàm ut faciliùs coërceatur & aſſervetur. Cui dolus à *gummi* contractus eſt, illud elanguidũ tranſparensque eſſe contendunt. Id, quod facilè concedimus. Sed & idem difficulter ſcinditur: Gummoſa enim ſubſtantia, poſteaquam induruit, cultro reſiſtit, reſoluta verò lentorem facit. *Adeps* vel *Sevum* admiſtum facilè deprehenditur. Diverſæ enim ſubſtantiæ inter ſe pugnant, & vitium illicò produnt.

IV. An Opium in Europam exportatum ſit legitimum?

Dubitamus. Dioſcoridi optimum opium eſt denſum, grave, amarum, ſomnifero odore, in aquâ facilè ſolubile, læve, album, non gummoſum, aut granis ſimile, quodque inter colandum non inſtar ceræ coëat, & ſoli expoſitum liqueſcat, accenſumque flammam non atram emittat, extinctum verò retineat odoris priſtini vires. Has itaque notas licet in opio nobis uſitato deſideremus pleraſque: facilè enim fieri poſſe concedimus, ut curioſè legentium & conficientium hunc liquorem manus ſæpius vel etiam invitè aberrare, vel ſtudioſè eundem depravare poſſint: quia tamen ſeparationem Chymicam, utpote bonum & homogeneum à malo & heterogeneo dirimentem, imprimis adhibemus, non tam faſtidimus opii qualemcunque confectionem, quam nihilominus crudo uſui officere, eamque ſuſpectam eſſe debere meritò monemus. Quod ex Cambaia Indiæ hoc ſeculo affertur, omnium eſſe optimum experientiâ didicimus: & quamvis nec illud planè ſincerum ſit, meconiumque, quod eſt Dioſcoridi *ἀφανιστικὸν τοῦ ἰοῦ*, procul dubio admixtum habeat: è cæteris tamen impoſturis immune videtur eſſe. Quicquid tamen in eo laudabile eſt, & ad ſoterellam Laudani neceſſarium, relictis quisquiliis, & ad agendum inidoneâ materia ſeparatâ, in ſpeciem veri & præſtantiſſimi anodyni quam maximè tranſit.

THEOREMA V.

Fundamentum totius Naturæ rerum, quantumvis ſanior Philoſophia haut in Elementis, eorumque qualitatibus, ſed in ſolis ſpecierum individuis, hoc eſt, principiis ad agendum unicè habilibus collocet, ne tamen Opium, qualitatum clauſtra temerè deſeruiſſe videatur, tùm ratio, tùm experientia fidem faciunt, Opium eſſe calidum.

Con-

Conſectarium.

Opium itaque in ſua principia ſeparatum actionum ſuarum momenta manifeſtat, proximè conſtet, nec calore, nec frigore, nec humiditate, nec ſiccitate, nec craſſitie iſthæc peragi. Si quid tamen de integro Opio pronunciandum eſt, illud frigidorum cenſui haut accenſendum eſſe ſtatuimus.

Exegeſis.

Gladiatorio prorſus animo olim in ſcholis Medicorum decertatum eſt pro Opii frigiditate, nec patrocinio recentiorum caruerunt, ea, quæ à Dioſcoride *lib. 4. cap. 63.* & Galeno paſſim, nominatim verò *6. de ſimpl. med. fac.* item *l. 8. de comp. med. ſ. l. c. 2. & 3.* in eandem ſententiam propoſita fuerunt. Enim verò, vim Opii ſtupefactivam non aliunde proficiſci, arbitrati ſunt ad unum omnes, quàm à frigore, cujus nempe ſit ſtupefacere. At verò compoſitionis virtute, quarumlibet rerum internas proprietates occultante, per ἀνάλυσιν artificioſam remotâ, deprehenſum eſt, potiùs in quâdam particula ipſius cruda hanc ſolam ſtupefaciendi poteſtatem latere. Quod igitur partis unius eſt, toti haut benè aſſcribitur. Utrum verò illa particula ſtupefactiva frigida ſit, Philoſophia ſanior determinare nequit. Nec enim actionum fontes in rebus naturalibus ex qualitatum menſuris ponderat, ſed eaſdem ex ipſis principiis hypoſtaticis, propriis ſeminibus fœtus, derivat. Etſi itaque meritò in his quoque nobis acquieſcendum eſſet: progrediendum tamen eſſe cenſemus, & ex vulgari Philoſophia ventilandum, Opium nempe injuſtè inter frigida connumeratum eſſe.

Quæſtiones.

I. Vtrum Opium ſit calidum?

Aff. Univerſa quidem antiquitas Opium eſſe frigidum ſtatuit. Cauſam diximus antea, quia aſſumtum ſtuporem corpori conciliet, quæ frigidorum nempe natura ſit. Enimverò non iniquam cenſuram ſubiremus, ſi temerè à priſcorum tot ſeculis approbata ſententia diſceſſionem faceremus. Quia tamen non tanquam mercenarii, ſed veritatis inveſtigandæ ac aſſequendæ gratiâ, deſcendimus ad naturæ inveſtigationem, per veſtigationis igitur hujus ſpiritum, qui libertatem concomitatur potiùs retineamus. Providendum itaque fuerit; ne quemadmodũ recentiorum placita tanquam Jovis cerebrum exoſculanda haut arbitramur, ita veterum opinionum reliquias foveamus ut antiquatos errores, nimis pertinaciter eos defendendo, novis inſaniis obruere velle videamur. Matthiolus, *in comm. ſuis in Dioſc. ſæpe cit. cap. 63. lib. 4.* Opio calidiſſimas ineſſe qualitates fateri cogitur. Cùm etenim ex ſapore & effectu rerum temperamenta & qualitates cognoſcendæ ſint; Opium verò amarum & guſtu acre ſit: quidni igitur Matthiolo ex caloris effectu iſthæc concludenda fuiſſent? Marcellus Donatus, *lib. 4. hiſt. med. admir. cap. 18.* papavera locis & cœlo diverſis enaſcentia diſtinguit: itaque etiam opium non uniusmodi eſſe poſſe contendit. Opium enim papaveris altiori loco & ſub calidiore prognati cœlo partes multiplices calidas obtinere ait; ſecus, ſi illud in humiliori ſitu cœloque frigidiore prognatum fuerit. Quin imò papaver nigrum frigidius albo à Dioſcoride, Galeno, & ſubtiliſſ. Dictatore Scaligero habitum eſt. Verum enim verò hæc omnia minùs ſatisfaciunt inſtituto noſtro. Amarities enim & acrimonia nec ſemper nec ubique in calido conſiſtit. Sapores enim non ſunt in Elementorum principiis, ſed à formis dantur, & è formis conſtituuntur; ab efficientibus verò propagantur. Deinde diverſitates loci cœlorumque parum concludunt. Æquivalens enim cœli robur eſt in imis terræ viſceribus ad metallum, quàm in Europa & India ad papaver: quandoquidem nec ullo temporis ævo, nec ſpatii fatiſcit longinquitate. A terra tollatur reflexio radiorum: (neque enim hinc neganda eſt virium accidentalis variatio, ſed immaterialis illa vis, qua dantur formæ rebus, nullo diſtantiarum ſitu defatigatur. Opium denique ex alterutro concretum papavere vi ſuâ ſtupefactivâ carere nequit, quæ quamvis intenſior in alio, in alio remiſſior ſit, nigrum tamen æquè hoſce gradus admittere poteſt, ut nihilominus quoddam album reperiatur, quod vi narcoticâ majori præditum ſit, idque non niſi per abundantiam ☿is, vel ſeminis proprii, vel miſtionis ratione, in eo ſtabulantis. Sed, miſſis iſtis admodum labilibus nec firmiter concludentibus argumentis, aliunde ſubſidia infallibiliaque rationum momenta accerſenda ſunt, quibus citra ἐγχείρησιν Chymicam monſtremus, Opium eſſe calidum. Quæritur itaque 1. unde ſudor extet, quem copioſum Opium juſtâ quantitate ſumtum provocat? Diaphoretica ſanè calida ſunt & tenuium partium, non frigida. *Gal. 5. ſimpl. med. fac. cap. 14.* Nec enim ſudor naturalis niſi à calore proficiſci unquam poteſt. Quod ſi verò dixeris, ſudorem aſſumto opio ideò erumpere, quia Opium frigiditate ſuâ ſomnum conciliat, unde calore intrò revocato concoctionem juvari, proindeque eâ ritè perfectâ ſudorem ſubſequi neceſſe eſt, ſi, inquam, ita dixeris, malè concludendo nihil dixeris. Nec enim opium ſuâ frigiditate ſomnum inducit, nec, quia ſomnum inducit, ſudorem movet. Soporifera enim non eſſe frigida, ſed humida, oſtendit Galenus *cap. 11. lib. 1. de ſympt. cauſſ.* Præterea ſi ſomnus à frigidis, cur crocus, lupulus, vinum, aliaque calida ſomnum conciliant? Deinde an non etiam Opium in vigilantibus ſudorem protrudit? Cur denique non ſemper in ſomno ſudamus? ſiquidem calor noſter ſemper intrò revocatur. Fortaſſis non ſemper debito modo perficitur concoctio? Eſto ſanè. Sed & divinus Senex *4. aph. 41.* ſtatuit, ex plurimo cibo per ſomnum copioſos fieri ſudores. Copioſa enim materia ex concoctione copioſi cibi & potionis generandis vaporibus ſuppetit. Sed à repletione ſeu copioſiore cibo concoctioni vim quoque fieri, quis negat? ſomnus itaque ab humido, nec tàm à perfectâ quàm imperfecta concoctione provenit. Cæterùm an fortaſſis Opium ſudores eo modo excitet, quo alioquin frigida, æſtivo tempore hauſta, è concentrato ſcil. calore fortiùs inſurgente, eundem confertim provocare ſolent, non nemo dubitare poſſit. Non equidem inficias ibo, frigida poſſe ſudorem movere; ſed id non niſi per accidens fit. Opium autem ad ſudores proliciendos per ſe proclive eſſe, convincit ipſius recenter aſſumti manifeſta qualitas calida. Sic enim medicamenta agunt ea qualitate per ſe, quæ primò percipitur. *Gal. in lib. de temper.* Idem oſtendit mirifica ipſius per totum corpus diſperſio, id quod olim Dioſcorides, *lib. 6. cap. 17.* prodidit. Quinimò experientiâ deprehenſum eſt, Opium, poſteaquam aſſumtum fuerit, odorem ſuum fœtidum per corporis habitum adeò diſpergere, ut etiam nares adſtantium ferire poſſit: quod ſanè evidentiſſimum argumentum eſt, ſudorem ab eo provocari per ſe. Quia itaque Opium ſudores prolicit, & quidem per ſe, ſine alius interventu, quis deinceps ipſum ex calidorum cenſu eliminabit? Sed pergamus, ut proſpiciamus etiam de reliquis, ad inſtitutum noſtrum facientibus. 2. Opium aſſumtum exſtimulat ſitim, excitat odorem plusquam mephiticum, pruritum excitat: hæc autem à frigiditate proficiſci, nemo prudens, ſat ſcio, concedet. Augetur enim ſitis ob humoris inopiam, & caloris copiam. *Gal. lib. 1. de ſimpl. med. fac. cap. 30.* Hæc verò exſiccantium & calefacientium ſoboles ſunt: quomodo videmus ſitim excitari ab humoribus calidis & ſiccis, acribus & ſalſis, item ab intemperie calida vel orificio ventriculi, vel à toto genitâ vel quomodo idem efficiunt aliæ partes corporis non longè à ventriculo diſſitæ, epar, cor, pulmo, venæ meſaraicæ, inteſtina; ſive id fiat per humores ſiccos aut vapores

pores etiam calidos communicatos, ſive propter communionem tunicarum & membranarum, quæ ventriculum, aſperam arteriam, œſophagum, vicinasque partes ambiunt: quomodo quoque ſitim promovent & augent omnia medicamenta calida & ſicca, cibus calidus & ſiccus, defectus potûs, venena, nimiæ corporis evacuationes, motus vehementes, imprimis linguæ, partiumque loquelæ dicatarum, æſtus ſolis, aër patente ore frequenter hauſtus, & cætera. 3. Spirat Opium fœtorem Mephiticum. Nihil eſſe odoratum frigiditate, inquit acutiſſ. Scaliger *exerc. 151.* tametſi quædam frigida ſunt odorata. Ergò & roſa, & ſantala, & viola, camphora, ſi & frigida ſunt & odorata, videtur aut æqualiter in iis utrumque valere, aut calorem magis, ſiquidem plus odorata ſunt, quàm inodora. At ſi vincit frigiditas, odorem quoque vinci par eſt: non enim à caliditate, quæ victa eſt, poſſit procedere, ſed à frigiditate, quæ vicit τὴν ἀοσμίαν, quia calorem vicit. Eadem prorſus profitemur de Opio, ut, quemadmodum ad calefaciendum multo calore opus eſſe concedimus, ita ad odorem gravem expirandum nimis parvum haut ſufficere concludamus. 4. Opium pruritum excitat. Incaluerunt enim ab aſſumto Opio excrementa mordacia, ideoque ad ſcalpendam cutem hominem incitant. Ex quo ſanè nonnihil voluptatis oritur, ob evacuationem videlicet materiæ illius, quæ incaleſcendo mordicabat. Cùm itaque hæc omnia in Opio non niſi caloris effecta ſint, parum aut omnino nihil in eodem exſtare videbitur, quod, ſi frigidum eſt, frigori adſcribendum fuerit. Credibile forſan eſt, ſolam narcoſin exinde dependere. At vinum, ſpiritus vini, crocus, lupulus, vim narcoticam poſſident, & tamen omnia calidis accenſentur. Sempervivum majus frigidius eſt altero, neque tamen magis vel æquè quàm hoc ſtupefacit, quod ipſum quoque Fernelium agnoviſſe legimus *lib. 6. med. m. cap. 5.* Sp. ♃ inter entia medica metallica omnium eſt frigidiſſimus, ut quævis alia frigida ſuperet, nihilominus ſtupefaciendo nunquam nocet. Simile judicium de reliquis ferre licet iis, qui non aliis ad judicandum utuntur legibus, quàm quæ à natura ipſa latæ & fixæ ſunt.

Verum enim verò inventi ſunt nonnulli, qui poſteaquam his difficultatibus extricare ſeſe conati eſſent, tantum abfuit, quin in longè difficiliores implicationum naſſas inciderint. Capivaccius *cap. 9. lib. 7. prax. tract. de venen.* ne omnino affirmare cogeretur, Opium eſſe calidum, diverſos caliditatis & frigiditatis gradus exiſtere in illo, commentus eſt. Idem nimirum eſſe calidum in 3. gradu, unde nempe ſitis, pruritus &c. frigidum autem in 4. cujus ſit νάρκωσις. Sed quàm facilè iſta dicuntur, tàm facilè etiam refutantur. Longè enim ſecus res & ipſa habet veritas. Si Opium eſt calidum in 3. & frigidum in 4. ergo ſtupor ille excitatur à frigore unius gradus. Quia enim caliditas 3. graduum reprimit frigiditatis 3. gradibus, ne aliquid proficere poſſint, non relinquitur ſanè niſi unus gradus frigiditatis. Sic à menſura aq. frigidæ in 4. gradu, alteri menſuræ aq. calidæ in 3. gradu admixtâ, unicus tantùm frigiditatis gradus in reſiduo fuerit. Ab hoc itaque unico erit ſtupor. Lactuca itaque & atriplex, cæteraque vulgò uno gradu frigida, ſtuporem aut ſomnum introducent, quod eſt falſiſſimum. Hactenus itaque ex tot rationum momentis, ad veritatis trutinam appenſis, clarum fuit, opium, ex frigidorum caſtris ad calidorum agmen transfugam factum, hanc nobis perſuaſionem facere, pro veritate, quæ eſt animæ pabulum, conquirendâ opus eſſe, ut, ſi velimus de re aliqua ſtatuere, ità ſtatuamus, ne ſtatuti leges nobis prætergreſſis multa ex cumulo rerum in natura ſitarum objiciantur, quæ contrarium probent.

II. Si Opium calidum, quomodo tamen narcoticum ſit?

Narcotica dicuntur Medicis, quæ nempe cauſam doloris tollunt, neque dolorem leniunt, ſed ſtuporem parti inducunt, ſenſumque, ne, quod dolorificum eſt, percipiat, hebetant. Hæc omnia, inquit Fernelius, *ſup. cit. cap. 5. l. 6. meth. med.* vehementer, id eſt, 4. gradu frigida ſunt, quæ tamen non hâc, ſed peculiari facultate, ſenſum adimunt. Cæterùm Fernelius iſthæc admodum benè: neque enim ſoli frigiditati attribuendum eſſe is perſpicaci judicio procul dubio vidit, quod ſubinde etiam in calidiſſimis reperire liceret. Sic enim v. g. crocum ſtuporem introducere & vidit & intellexit; quomodo tamen minimè frigidum eſſe propterea ſtatuiſſet? Itaque Opium ſimiliter narcoticum eſt: nec verò id, vel quia calidum eſt ab affectionibus calidis; vel frigidum ob ſtuporem. Qualitates enim huic affectui producendo inidoneæ prorſus ſunt: nulli enim qualitati per ſe, ſed tantum cauſæ efficienti, revera competit actio. Hanc dogmatici quidam peculiari facultati acceptam tulerunt, quod tamen enunciare non potuerunt. Nominârunt quandoque totam ſubſtantiam quandoque formam ſubſtantialem, quæ nimirum κατ' ἐντελέχειαν afficerent & moverent, ſeu alterarent: non quod id præſtarent manifeſtâ ſenſuum qualitate, prout elementa, ſed occultâ vi & potentiâ formæ ſubſtantialis. Sic enim quia Zinziberis calor nullo tactu comprehenſibilis, nec ideò manifeſtus eſſet, ejus tamen actio calida à calore animalis mota proderetur: idcircò eandem occultis potentiis ſeu facultatibus adſcripſerunt. Verùm ſi illi naturæ opera, in quibus univerſa poteſtas viget, non tanquam miracula cum plebeis admirati fuiſſent, ſed altiori ἀγχινοίᾳ naturalium rerum principia inquiſiviſſent, nec, ſenſuum ſolummodo teſtimoniis delibuti, artificioſam corporum diſſolutionem neglexiſſent, tunc ſanè, ſubſtantiarum factâ ſeparatione, ex quibus nempe ſingula corpora componerentur, in conſpectum produxiſſent proprietates, quæ antea compoſitionis virtute occultatæ erant: tum demum patuiſſet, quibus principiis & adminiſtrationibus tot talesque effectus editi fuiſſent. Sic etenim ex ſpecierum ampliſſimâ provinciâ deſtincta ſecretaque individua clariſſimè ipſis oculis actionum fontes proximos demonſtrâſſent. Id quod ſi in Opio ſedulò factitatum fuiſſet, neutiquam in eo incomprehenſibile manſiſſet, quod in ſeſe narcoticam illam vim & poteſtatem complexum eſt.

III. Unde ergo dependet vis narcotica Opii?

Opium propter vim ſuam enormiter ſtupefactivam etiam inter venena olim recenſitum fuiſſe, conſtat ex Dioſcoridis *lib. 6.* qui totus eſt de lethalibus venenis, ubi etiam illud locum ſuum invenit *cap. 17. & 18.* quem ſecutus Santes Ardoynus *lib. 6. c. 54.* & Ferdinandus Ponzettus *l. 2. c. 34. de ven.* idem inter deleteria repoſuerunt. Cæterùm ſingula creata perniciem homini minari, & exceſſum intrò ſumptarum rerum etiam optimarum valde noxium eſſe, nemo non videt. Opium autem parvâ quantitate ſumtum hominem, tantum abeſt, ut necet, ut potiùs juvet. Hinc igitur ejus uſus invaluit, ut non copioſè & confertim, ſed moderatè & ad præmenſuratum ſeu juſtum pondus, ſumatur. Venena verò etiam minimâ doſi exhibita, ſi non perimunt, ſaltem graviſſima poſt ſe relinquunt ſymptomata. Agunt itaque totius ſuæ naturæ contrarietate, quâ ſanè Opium non agere certum eſt. Stupefacit tamen. Quæritur itaque, unde ille ſtupor, & unde cauſam habeat in Opio? Qualitatibus id minimè adſcribi poſſe, demonſtratum eſt paulò antè: nec tota ſubſtantia hic locum habet, cùm non exactè conſtet, quid ea ſit, nec, ſi ſit, actionum momenta juſto titulo poſſidere queat. Sunt enim cauſæ efficientes in qualibet ſubſtantia, à quibus hæc omnis actio immediatè dependet. Illæ cauſæ radicantur in inexplicabili ſeminum natura & poteſtate, quæ tamen in ſuis individuis ſolæ ſeorſimque vigent. Et quamvis concurrant caliditates, humiditates, frigiditates, ſiccitates:

ab

ab iis tamen actiones non procedunt; pro præſentiâ ſaltem aſſiſtunt ut Legatorum comites. Illis itaque jure meritoque omnis debetur actio, à quibus nempe primariò proficiſcitur. Hæ verò cauſſæ efficientes corporum artificioſâ ſeparatione manifeſtantur, ac ſub ☿ii, ⊖ is, & 🜍is nominibus figurantur. Horum itaque uni in Opio quoque erit attribuenda ſtupiditas, cum à ſingulis illis ſingula effectionum genera deriventur. In Opio igitur per artificioſam ἀνάλυσιν deprehẽdimus quippiam oleoſum, ſeu 🜍 quoddam tetrum & immaturum planè & narcoticum, à quo principaliter hæc ipſa ſtupefactio originem ſuam trahit, & in quo eadem hoſpitatur. Tale ſulphur iisdem facultatibus pollens reperire licet in aliis naturæ individuis. Sic, quæ ſalia vulgò appellantur, vitriolum, nitrum, ſal gemmæ, alumen, talibus ſulphuribus narcoticis ſtipata ſunt. Eodem gaudent metalla pleraque. Sulphur quoque vulgare ab eodem non immune eſt. Et ſunt ex vegetabilibus quam plurima, non aliunde, quàm ab ejusmodi ſulphure, ſtupefacientia. Quomodo autem iſtud ſulphur ab opio artificioſè auferendum ſit, explicatius reddet ipſius genuina præparatio.

THEOREMA VI.

Opium, antequam in uſum medicamentoſum veniret, cum venenis illud accenſum eſſet, etiam antiquitus præparationem quandam paſſum eſt. Quam tamen caſtigationem potiùs fuiſſe liquet, à calidorum adjectione ita temperatam, ut hinc ipſius ſumma frigiditas, quâ ſolâ nocere exiſtimabatur aliquantulum impedita minùs noxia foret.

Exegeſis.

De Opii nomine, loco natali: cauſis, & qualitatibus hactenus theoricè egimus: ſequitur nũc ipſius praxis, quę partim ipſius præparatione, partim uſu terminatur. Utriusque ſua quoque erunt Theoremata, cum annexis & diſcuſſis quæſtionibus non inutilibus. Veteribus mens erat, Opium caſtigare potiùs, quàm præparare, adjectis nimirum pyrethro, pipere, euphorbio, caſtoreo, croco, nardo Indica, zedoaria, myrrha, cinnamomo, caſſia lignea, zingibere, caryophyllis, aliisque calidis, quibus nempe ipſius ſummam frigiditatem infringi exiſtimabant. Id a. maximè apparet ex omnibus iſtis compoſitis narcoticis, v. g. diacodio, pilulis de cynogloſſâ, requie Nicolai, & quadruplici philonio, quæ ſingula farraginem ejusmodi calidorum non exiguam ad Opii correctionem intrò receperunt. Sed quàm benè iſthæc factitata ſint, paucis diſpiciendum.

Quæritur itaque.

An Opii præparatio apud veteres ſit genuina?

Neg. Solida enim præparatio non eſt, quâ partes noxiæ ab innoxiis auferuntur, ſed levis quędam caſtigatio, qualẽ pleraque in medicamentorum ſuperficiariâ elaboratione tum olim, tùm hodie paſſim ſuſtinent. Opii ut & cæterorum narcoticorum vim vigere in 🜍e indigeſto, ſtupefactivo, fœtido, fidem facit ultima quæſtio præced. Theorem. Idem verò teſtatur experientia, ab ἐγχειρήσει Chymica ſtabilita. Hoc in Opio, ad magnas antidotos, Theriacæ & Mithridatii, ut & ad reliqua, paulo ante enumerata, ſumto & transſumto, manet. Illud enim crudum ſine aliqua peculiari præcedente præparatione alia ingreditur: ſed utrum, quia calidiſſima adjecta ſunt, hæc ipſa vis ſtupefactiva 🜍is manentis in Opio retundi poſſit? meritò quæritur: Ajunt quidem ex Galeno *lib. 8. de med. comp. ſ. l. cap. 3.* ideò calida ſt..., etactivis admiſcenda eſſe: 1. ut hæc, quia naturâ ſuâ tardi tranſitus ſunt, illorum beneficio ad locum dolentem deducantur. 2. ut in narcoticis vis ſtupefactiva alioquin mortificans illorum calidorum naturâ ac ſubtilitate retundatur. Sed, probè examinatis omnibus, neutrum horum conſiſtere poteſt. Neque enim craſſa & lenta, qualia cenſentur frigida, egent calidorum tanquam paraſtatarum deductione. Sed in his & illis ſpiritus exiſtunt & vigent, qui interno calore excitati effectorum horum moderatores ſunt, qualitatibus parum aut omninò nihil conferentibus. Itaq; etiam opium, per ſe ſine correctivo ſumtum, facilè ſuis ſpiritibus adminiſtris caloris interni operâ efficax eſt. Deinde ejusmodi narcoticorum compoſitorum juſta doſis tantum opii in ſe continet, quantum alioquin etiam crudi uni ſumtioni ſatis eſſet, ut certè nec minor inde vel major effectus ſperandus metuendusvé eſſet, quàm ſi opium extra compoſitionem in ſuâ eadem doſi per ſe ſumtum fuiſſet. Opium itaque cæteraque ſtupefacientia ab abjectis illis calidis corrigi & retundi poſſe, planè abſonum eſt. Eſt enim doſis ejus exigua, & tamen idem effectu ſuo haud caret: qui omninò periret, ſi quid calida ad corrigendum & retundendum opis afferrent: hæc enim illud quantitate ſuâ longè ſuperant.

THEOREMA VII.

Artificioſior & ſimplicior præparatio Opii primùm illius 🜍 narcoticum leni exhalatione, donec gratum odorem ſpirare inceperit, removet. Ex his deinceps per acetum deſtillatum forte tincturam ſeu eſſentiam extrahit, quam percolatam & inſpiſſatam tandem cum magiſteriorum coralliorum & perlarum ana ad ipſum ſemiſſe, ac extracti croci, per ſpir. vini facti, quadrante in celebre Laudanum opiatum miſcet; quod eruditi ab effectu Nepenthes vocant.

Conſectaria.

1. Laudanum itaque opiatum eſt ſpecies Chymica ex pluribus diverſi generis ſimplicium ſpeciebus, eſſentia nempe Opii, magiſteriis coralliorum & perlarum, ac extracto croci, affabrè compoſita, anodynum, mitigativum, ſomniferum & ſedans.

2. Illud igitur eſt Elixir, ſolidiori formâ elaboratum, utiliſſimum in tota Medicina inventum.

3. Hoc ipſum alioquin ſine Opio ex aliis 🜍ibus mineralium & metallorum, eandem facultatem cum Opio poſſidentibus, quale inprimis eſt 🜍 ⊕-i narcoticum, arte paratis ſeu extractis, ſimili mixtione familiarium ingredientium, conficitur.

4. Exinde ſunt ſpecifica Laudana alia: ad Epilepſias unum, ex ſpir. camphoræ cum ſpir. vitrioli antepileptico præparato: ad paſſiones hyſtericas alterum, ex extracto clavorum in equorum tibiis adnatorum, cum aq. meliſſæ & gagatis facto, proindeque debitâ proportione concinnata.

Exegeſis.

Medicina ſanior citra artificioſam ſeparationem puri ſeu innoxii ab impuro ſeu noxio nihil in uſum medicum admittit. Sinceriores itaque & ad agendum maximè potentes ſubſtantias ex rebus ipſis ſeligit. Eandem igitur aleam hæc quoque ſubire cogunt Opium, ut videlicet, poſteaquam in illo tanti ſtuporis authorem exſtare depre-

deprehendis ſulphur immaturum, ſeu indigeſtum, & fœtidum, hoc imprimis auferas tanquam noxium, reliquamque ſubſtantiam, vi quâdam anodynâ, ad demulcendum dolores omnes, eosque mitigandum, prægnantem, in nobile Laudanum præparando miſcendoque traducas. Opium igitur fruſtulatim in aſſulas ſeu σχίδια ſectum, leni calore arenæ in patella vitrea primùm fove, & exiccari permitte, ſæpius agitando, ſed tamen, ne fruſta ſeſe attingant, continuandoque tantiſper, donec omne ſulphur ſordidum exhalando perierit, ipſumque opium ſuaviorem ſeu gratiorem odorem ſpirare cœperit, ac digitis tritum in pulverem abierit. Exinde cum aceto vini albi fortiſſimi deſtillato, quod ad eminentiam iiij. digitorum affundendum, blando calore Balnei vel cinerum, per octiduum digerendo, tincturam inſtar granati elice, eamque percola; vel, quod clarum eſt, per inclinationem ſepara. Affundatur aliud acetum, & extrahatur tinctura, etiamſi non ita rubicunda. Repetatur hic proceſſus, donec tinctura appareat flava, quæ abjicienda. Eſſentiam, denuò in Balneo per alembicum abſtracto aceto deſtillato, inſpiſſatam cum magiſteriis coralliorum & perlarum, atque extracto croci, certo pondere, miſce. Ad unc. j. nim. extracti opii magiſteriorum ſingulorum unc. ß, extracti v. croci drachm. ij. diligenter commiſcendo invicem, recipe, addendo, ſi libet, ol. caryophyllor. ſcrup. ß. Quomodo magiſteria & extractum dictum fiant, docet Beguinus, *Tyroc. Chym. lib. 2. cap. 9. & 19.*

Hæc verò ſimpliciſſima componendi Laudani opiati methodus: Laborioſiores & copioſiores, ſed vix meliores, compoſitiones conſiderentur apud Quercetanum, *in pharm. & lib. de med. Chym. Spag. præpar.* Crollium, *in Baſil.* Beguinum, *in Tyroc. Chym.* Libavium, *in Alchymia.* Nec forſan eſt nemo, qui de peculiari ſibique propria Laudani opiati præparatione glorietur. Suus unicuique relinquendus eſt mos. Natura certè ſimplicitatem amat: multas contrà ſimplicium coacervationes averſatur, utpote à quibus nunquam, vel admodum raro, toti ſatis bene fit. Nec pharmacorum compoſitio in ingredientium ponderoſo numero, ſed in eorundem viribus & poteſtate, neque flexâ, neque fracta, ſed excitatâ, conſiſtit.

Laudanum peregrino hoc nomine dicitur, quaſi laudatum remedium. Zvvingerus pater primus appellavit Nepenthes, quod remedium Helenes fuiſſe dicitur, quo omnes è corde languores & ægritudines ſuſtulit, hilaritatem lætitiamque introduxit, magno illo Homero teſte. Ad quam porrò claſſem ſpecierum Chymicarum Laudanum Opiatum reducendum ſit, apparet protinus ex ejus compoſitione. Fit enim illud ex pluribus diverſi generis ſimplicium ſpeciebus. Eſt igitur Elixir. Hoc igitur generali nomine propriè audit.

Verùm enim verò è mineralibus & metallis ſulphura quoque narcotica, elici poſſe, teſtatur ἔκκρισις Chymica, nullo tempore in ſolvendis corporibus otioſa. Ea igitur cùm vim ſeu facultatem Opii quàm proximè æmulentur, locum ejus in Laudanorum compoſitione ſupplere poſſunt. Hinc igitur concinnantur præſtantia anodyna, quorum duo periculoſis epilepſiis & uteri ſuffocationibus admodum feliciter medentur. Quomodo autem ſulphura anodyna ex mineralibus & metallis, quomodo item nobiliora illa Laudana fiant, tùm ſubſequentes ad hoc Theorema ſeptimum quæſtiones theoricæ, tùm manus noſtræ in ἐργασίᾳ ſpagyricâ practicæ demonſtrant.

Quæſtiones.

I. An ab Opio vis narcotica auferri poſſit?

Reſp. quidni? Eſt enim Opium corpus mixtum, qualia omnia mundana hæc ſunt, ex quacunque claſſe vegetabilium, animalium, mineralium, & metallorum depromta. Opium itaque perinde eſt ſeparabile, & in ſuas individuales ſubſtantias reſolubile, ceu ſunt reliqua omnia. Quicquid igitur impuri in illud vel natura implantavit, vel immaturior exemtio reliquit, idem ἀνάλυσις ſpagyrica aufert: quod ſupereſt, exaltat & perficit, bonumque à malo ſeparat. Bonum in ſe actionum fontes, agendi modos, manifeſtasque occultarum proprietatum explicationes continet: malum planè inutile ſuperadditamentum eſt, & labes, quam paſſa ſunt omnia corpora, cùm primùm à lapſu primorum noſtrorum parentum, hanc abominabilem condemnationis aleam ſubire, à Creatore cogerentur. Quod ſi itaque Opium in ſua principia ſeparabile eſt, ea verò ſint bona, & tamen impuri ſeu maligni quid in toto ſit, idem quoque eodem artificio ſeparari poteſt.

II. An conſiſtat illa vis narcotica in ſulphure ſtupefactivo noxio?

Reſp. Affirm. Eodem enim ablato, quod ſupereſt, malignitatem hanc non edit, ſed eſt merè anodynum, ſomniferum, mitigativum. Conſequens itaque fuerit, hanc vim ſtupefactivam à nullo alio propendere. Eſt autem ſulphur iſtud ſtupefactivum, tùm naturâ ſuâ, quæ ex ſeminio dependet tota, à quo videlicet omnia proficiſcuntur; tùm propter ſuâ immaturitatem, in qua nempe elaboranda virtus, propter ejusdem nondum maturi excretionem, exhauriebatur, antequam ad finem maturationis pervenire potuerat. Cæterùm non malè quidem à nonnullis creditum eſt, geminum ſulphur in opio extare: unum maturum & eſſentiale, alterum immaturum & accidentale ſeu adjectitium: quorum hoc ſolam ſtupefaciendi poteſtatem; illud vim anodynam ſomniferam continere viſum eſt. Sed in naturam & ſenſum temerè, vel ſine manifeſtâ neceſſitate, nova entia invehenda eſſe, prohibet Philoſophus. Dicimus itaque, in Opio, ut & pluribus aliis, videri quidem, ob diverſitatem effectorum, duo vel etiam plura eſſe actu diſtincta, quibus iſthæc diverſa effectio meritò adſcribenda eſſet. Longè verò ſecus eſt. Sulphur enim maturum ab immaturo ſulphure non differt niſi gradibus & modo perfectionis. Sic itaque ex papavere ſucculento lacryma opii colligitur. Papaver itaque illud immaturum eſt. Neq; igitur etiam, excocta & perfecta ut ſint omnia ejus principia, neceſſarium eſt. In eo igitur ſit ſulphur illud, dum naſcitur papaver; à ſeipſo verò differunt res, quæ fiunt, & quando factæ ſunt. Quæ verò fiunt res, nondum ſunt. Quod autem non eſt, quomodo poteſt, vel ſponte, vel invitum, facere id, quod faceret, ſi eſſet? Quod itaque ſulphur in papavere maturo & excocto eſt merè anodynum, & fermè innoxium, illud immaturum eſt in papavere immaturo, & propter hanc ſuam immaturitatem eſt ſtupefactivum & noxium; qualia ſanè ſulphura in plerisque naſcentibus immaturis habentur, quæ nec ſana, nec ſalutaria ſunt. Sed ſi forſan dixeris: ergò ille ſuccus opii potiùs ex maturo papavere colligendus, & ad medicinam aſſumendus eſſet? Haud ego tibi aſſentior. Ideò enim aſſumitur ὁ ὀπὸς papaveris ex immaturo nempe congeſtus, ut ſint talia ſtupefacientia, ſenſumque hebetantia, quibus Medicina carere nequit. Ars verò illud corrigere, & illud, quod nimium ſtupefactivum eſt, removere, aut ſaltem, ubi exhalando noxium ablatum eſt, reliquum deſtillando exaltare, ſeu ad maturitatem quandam perducere poteſt; quam penitus abſolviſſet natura, ſi ſuo perfunctura munere idem fovendo ad complementum perduxiſſet.

III. Quomodo illud ſulphur auferendum ſeu ſeparandum ſit?

Expeditiſſimus omnium eſt modus; quem in Theoremate diximus, quemque imprimis Quercetanus *in pharm. reſtit. cap. 24.* de narcoticis laudat, Ἐργασία inſtituitur

inſtituitur h. m. Primò Opii maſſas illas majores cultro in ſchidia ſeu aſſulas tenues ſecamus; poſteà easdem paſſim pluribus ſcutellis ad ignem arenæ lentum torremus quaſi & exſiccamus, ut paulatim, integro ad minimum octiduo, ſulphur illud fœtidũ evaporando pereat: ipſum verò opium, digitis tritum, tandem ſuaviſſimum & aromaticum de ſe odorem ſpargat, quod nimirum ſignum indubitatum eſt, ſulphur illud fœtidum h. m. pedetentim expiràſſe, & reliquam Opii ſubſtantiam per lenem iſtam digeſtionem ad perfectiorem quandam maturitatem exaltatam eſſe. Hoc opium, eo modo præparatum, ſaporem glycyrrhizæ propemodum acquirit, cum gratâ tamen nec nauſeabundâ acrimoniâ ſeu amaritudine, ut γλυκύπικρον dici quodammodo poſſit. Nonnulli Opium in fruſtula ſectum pyragra ſeu forcipe candente tam diu apprehendunt, donec fumum nullam edat. Sed hæc actio eſt vehementior, nec poteſt non ſimul quoque, quod optimum, proptereaque neceſſarium eſt, evaporare. Huic itaque in ἐγχειρήσει Chymica locum dare non poſſumus. Arcanorum Chymicorum eclogarius Libavius more ſuo Quercetani & aliorum exſiccationem Opii arrodit, eamque improbat, quia, inquit, *tom. 1. ſyntagm. l. 8. cap. 11. f. 386.* h. m. eſſentiæ pars potiſſima corrumpitur, relinquiturque cadaveroſus ſuccus potiùs. Idem *tom. 2. ſyntagm. cap. 11. alchym. pharmac. f. 151.* non carere, ait, iſtam præparationem Opii ſuſpicione depravationis, nec etiam arridere omnibus. Putat itaque Libavius, h. m. eſſentiam opii corrumpi ſeu depravari: improbandum itaque cenſet. Corrumperetur quidem ſi Opium planè incineraretur. Id quod Libavium exiſtimàſſe veriſimile eſt, cùm toto iſto cap. 11. alchym. pharmac. de cineribus agat, quos vel facit vel uſurpat Chymicus, quibus etiam toſta annumerat, in quorum cenſu Opium ponit. Deinde utrum eſſentiæ pars potiſſima in Opii toſtione corrumperetur, diſpiciẽdum priùs fuiſſet Libavio, quàm temerè pronunciandum. Quâ ratione enim rhabarbarum torretur, ut vim purgandi deponat: eâ quoque ratione Opium exiccatur, ut vim ſtupefaciendi amittat. Finis eſt utriusque unus & idem: ablatio nempe ejus, quod minùs uſui accommodatum fuerat. Eſto ſanè: Rhabarbarum in toſtione amiſit partem eſſentiæ purgantis, ſed partem eſſentiæ adſtringentis retinuit, eam autem volebat artifex.* Sic igitur Opium quoque deperdidit partem eſſentiæ ſtupefacientis; (ſi eſſentiam appellare liceat id, quod noxium & malignum eſt) eſſentiam autem mitigandi, ſomnum inducendi, ſedandi dolores, retinuit. Illam verò, tanquam impuram, rejectaneam & noxiam, non quærimus. Ideoque eandem quoque removendam cenſet Libavius, dum duplicem modum ſubſtituit, quibus nempe feliciùs illa removeri poſſit. Quod ſi itaque uterque eandem remotam ſeparatamque volumus, & nos leni evaporatione ſeu digeſtione noſtrâ potiſſimam eſſentiæ partem corrumpere videmus, viderit Libavius, ne ſimili modo periclitetur. Sed hoc intendit: vult enim removere impurum ſeu fœtidum, quod & nos volumus. Itaque hoc ſulphur inflammabile, fœtidum, pro eſſentia ipſius anodyna, mitigativa, ſedante procul dubio non agnoſcit. Deinde utrum de eadem aliquid pereat in noſtra calcinatione, quæritur? Libavius exiſtimat; nos negamus propterea que ipſius præparationes, quas ſubſtituit, inutiles eſſe judicamus. Non torremus in prunis, multò minùs in cineres adiginus; ſed lento calore, integro etiam interdum octiduo, in igne arenæ Opium in ſchidia ſectum fovemus, ut, paulatim evaporato 🜍 fœtido, ipſum gratum & ſuavem odorem exſpiret, tantum abeſt, ut cadaveroſus potiùs relinquatur ſuccus: cùm deinceps ipſa experientia & ratio maximè teſtatum faciant, quàm ſincerum id ſit, tandemque per acetum extractum, in medicamentum ſalutare abeat.

Cæterùm Libavius tollit maleficum illud ſulphur alio & quidem duplici modo; ſed tàm bene neutrum præſtat, quam, quam malè in Chymicis operationibus & praxi medicâ verſatus ſit, ipſemet ſatis ſe prodit. *Syntagm. tom. 1. ſup. all. l.* Opium ſolvit aceto caryophyllato, aut ſpiritu aceti. Solutum filtrat. Solvit iterum & filtrat: idque repetit, donec purum evadat. Solutionem ultimam circulat in pelicano. Purum liquorem coagulat, per deſtillationem, ſi deſtillatum uſibus externis applicare cupit; aliàs ſaltem evaporando reducit ad conſiſtentiam juſtam. Sic ſpiritus maligni & vertiginoſi ipſi partim diſcedunt, partim figuntur & alterantur. Iſthæc omnia quidem non malè: ſed an ſpiritus malefici, adhuc dum in Opio ſoluto, etiam Libavio judice reſiſtantes, evaporatione iſta partim diſcedant, partim figantur vel alterentur, probandum, non opinandum fuerat Libavio. Opinari verò in Chymia, eſt vim inferre experientiæ, à qua ſola ratio certitudinem & operandi modum ſtabilire potis eſt. Sic itaque videbimus. Acetum aut divaporat, aut deſtillatione capitur: Utroque modo, ait, maligni & vertiginoſi ſpiritus diſcedunt, hoc eſt, evaporando & acetum & ſpiritus maligni pereunt; deſtillatione utrumque reſervatur. Sunt ergò maligni & vertiginoſi ſpiritus in aceto per deſtillationem profecto. Sed illi ſunt ſtupefactivi: acetum itaque iſtud, in quo nempe illi ſpiritus ſunt, maximè ſtupefactivum erit. Contrarium planè oſtendit ejus uſus externus. Vix enim leniter mitigat, etiamſi confertim & in magnâ copiâ applicetur. Tantum itaque abeſt, ut h. m. & iſti ſpiritus omnes cum aceto tranſeant, & tanta malignitas ab Opio eo modo auferri poſſit. Sed iidem maligni ſpiritus partim in Opio extracto figuntur, partim alterantur. Utrumque falſum. Acetum quidem figit & retundit; extra mineralia verò & metallica nonnulla purgantia hoc idem in vegetabilibus ſtupefactivis ab eodem fieri, nondum comprobatum eſt. Idem verò malignitatem ſtupefactivam, quæ eſt in ſulphure opii fœtido, alterare, haut vero conſonum eſt. Acetum enim in ſe quoque vim quandam paregoricam ſeu mitigativam habet: diſſipat enim. Quamobrem illud acceſſione ſuâ ſulphur opii fœtidum haut alterabit, ſed viribus magis ſtupefactivum reddet. Ablato verò iſto ſulphure fœtido, & per evaporationem lenem quaſi peremto, acetum (quandoquidem inter omnia vegetabilia proximè ad naturam vitrioli accedit) ſalutarem eſſentiam à quisquiliis & fecibus reliquis ſeparat, proindeque illud, ſeſe per omnes ejus partes quaſi inſinuando, vi ſua repellente ulteriùs corrigit. Libavianam itaque Opii correctionem primam haut meliorem, ſed pejorem, propterea que inidoneam, meritò rejicimus. Ejusdem farinæ eſt altera, quam habet *ſyntag. t. 2. cap. 11. alchym. pharm. f. 151.* & quam ex Crollii *obſerv. 3.* ad præparationem Laudani detorſiſſe videtur. Solvit enim Opium crudum in liquore competente, & poſtea digerit, donec ſpuma enatet, quam cochleari tollit; puram verò partem à fecibus abſtrahit laciniis. Libavio itaque ſulphur illud maleficum eſt in ſpuma, quâ ablatâ aufertur quoque illud. Sed ſolutio vera Opii ſpumam nullam, etiamſi diutiſſimè digeratur, egerit: qualem forſan intellexit Libavius in coctione radicum hellebori & hyoſcyami enatando fieri, & poſtea cochleari abjici; aut ſi ſpuma etiam ederetur, tam copioſa tamen nunquam produceretur, ut uncias 3. vel 4. ſulphuris fœtidi, quot ejus unciæ ferè in libra una Opii ſunt, contineret. Deſideramus igitur hîc viciſſim in Libavio uſum ſeu experientiam, à quâ ſi inſtructus fuiſſet, haut ceſpitàſſet. Quin imò, ὀπισμὸν ſeu Opii collectionem Libavio ignotam fuiſſe, teſtantur verba ipſius eo loco huic correctioni annexa: *Quod ſi Opium, inquit, ipſi ex ſucco liquido faceremus, ante coagulationem eadem ſeparatione uteremur, quam in hyoſcyamo faciliùs præſtamus.* Opium enim collectores non faciunt ex ſucco

co papaveris; ſed illud à leni inciſura ſtatim fit. Con creſcit enim: ideoq; concretum unguibus ſaltem in ſubjectam conchulam detergunt. Eo modo concreſcunt quoque gummata. Sic ex lentiſco maſtix, ex ferulaceis iſtis ſagapenum ſeu ſeraphinum &c. concreſcendo fit. Coagulationem itaque Opii ſeparatio nulla præcedere poteſt, multò minùs ſulphur fœtidum h.m. auferri. De hyoſcyamo ejusque ſucco res planè eſt alia.

IV. Quomodo, ablato ſulphure fœtido noxio, tinctura Opii elicienda?

Reſp. Ante ſulphuris fœtidi ablationem tincturam ſeu eſſentiam ex opio ſinceram & genuinam nullam elici poſſe, tàm certum eſt, quàm pluvia, quàm imber eſt. Opium itaque ante illius ſeparationem nunquam extrahendum eſt. Quantumvis enim nobiliſſimis menſtruis id tentemus, nec tamen, divaporato maligno ſulphure, opium lentâ digeſtione ad pulchreolentem pulverem redactum ſit, de certitudine vel ablati, vel fixi, vel etiam alterati ſulphuris ſemper tibi periclitandum fuerit. Quicunque igitur vel aceto, tùm ſimplici, tùm compoſito, vegetabili, vel minerali, vino malvatico, aut utriusque ſpiritu, vel ſucco limonum, citriorum, granatorum, aurantiorum, cydoniorum, aquâ cinnamomi, ſpiritu roriſmarini, aquâ theriacali, aliisque infinitis præſtantioribus aquis deſtillatis, Opium crudum, ſine præmiſsâ evaporatione, extrahunt, oleum & operam legitimè extracti proptereaque innoxii opii perdunt. Hæc enim omnia, præter ipſam eſſentiam ſeu tincturam opii etiam ſulphur illud ſtupefactivum in ſe combibunt, quod nullâ arte tandem ab iisdẽ ſeparari poteſt; quin, idem nec figi, nec alterari poſſe ab iisdẽ menſtruis, res ipſa loquitur, & magna ſæpe maximorũ damnorũ ſeges, inde in praxin Medicam imperitorum culpâ hactenus introducta, fidem facit. Quodnam verò ex iſtis menſtruis alioquin uſitatis ad extrahendum correctum Opium melius ſeu optimum ſit, meritò quæritur? Nos cum Quercetano, acetum vini deſtillatum cæteris præſtare, toties reiteratâ Laudani opiati præparatione, deprehendimus. Soli itaque illi palmam adſcribimus: cæteris quidem parum aut omninò nihil derogando; cùm certum ſit, poſteaquam ſulphur illud maleficum ablatum eſt, iſthæc omnia & ſingula nobiliorem eſſentiam ab opio extrahere poſſe. Cur verò acetum præferamus, cauſa non eſt nulla. Potiſſima eſt, quia vim & proprietatem vitriolatam in ſe continet, ideoque aciditate ſuâ vitriolatâ opii eſſentiam, relictis fecibus inutilibus, rectius ad ſe trahit. Hanc facultatem, quia teſtatur experientia, etiam ſuccis Limonum, aurantiorum, citriorum, & granatorum ineſſe, eos quoque commodè uſurpari poſſe, non inficias ibimus. Cæterùm modus hujus eſſentiæ extrahendæ non eſt alius, ac cæterorum extractorum. Opio correcto & pulveriſato in cucurbita plani fundi acetum deſtillatum affunditur ad ſupereminentiam 4. 5. vel 6. digitorum. Digeruntur omnia lento calore, vel Balnei, vel cinerum, triduum unum vel etiam alterum, donec nempe acetum tinctum & rubicundum inſtar granati appareat. Clarum per filtrum ſeparatum reponitur, rurſumque recens acetum fecibus affunditur, id, quod repetitâ digeſtione colore rubicundo tinctum fuerit, denuo modò priori ſeparatur, & repoſito conjungitur. Satis verò eſt, hucusque tincturam elicere: cæteroquin, quod feculentum eſt, etiam tranſit. A repoſito verò tinctura tandem, ex balneo acetum deſtillando, ſeparatur, & Opii eſſentia in fundo relinquitur, in forma mollioris extracti.

V. Vtrum Laudanum melius ſine hyoſcyami eſſentia fieri poſſit?

Hanc quæſtionem cum ejusdem diſcuſſione quære in Beguini *tyrocinio Chymico, cum notis noſtris à Gluckradio edito, lib. 2. cap. 9.*

VI. Vtrum Laudanum fieri poſſit ſine Opii eſſentia?

Laudanum opiatum, quà tale eſt, hoc eſt, ex opio confectum, ſine opii eſſentia fieri non poſſe, extra omnem controverſiam eſt. Verum enim verò quidam Quercetanus olim *in fine conſil. ſui ult.* quod eſt pro nobili quadam virgine cachectica, dixit, in Nepenthe ſuo nullam opii vim ineſſe, neque hoc illius compoſitionem ingredi; quidam ſcioli hanc Quercetani ſententiam miris modis exagitârunt, omninò contradicentes, impoſſibile eſſe, in Laudano nec Opium, nec vim opii reperiri, & tamen effectum anodynum eſſe. Quercetanus utrumque rectè negat. Laudana enim fiunt absque Opio, in quæ nempe nec ſubſtantia, nec eſſentia opii ingreditur: proptereaque opii, quà opium, vis in iis nulla eſt. Ubicunque enim Opium non eſt, ibi ejus vis quoque exulare dicitur. Negatâ enim cauſâ negatur quoque effectus: ſiquidem effectu poſito in actu, ponitur etiam cauſa in actu. Sunt tamen nihilominus illa quoque anodyna & paregorica, eum videlicet effectum exercentia, quem alioquin Laudanum opiatum ritè rectèque paratum edit. Vis itaque Opii eſt in ſolo opio; illa enim eſt ejus proprium τα'θ⊕: propriâ namque ſeu immediatâ cauſâ poſitâ ponitur etiam effectus; & poſitis proprietatibus ponitur etiam res ipſa. Propterea vis illa Opii non eſt in Laudanis, quæ nullum opium recipiunt. Eſt autem in illis vis paregorica, & effectus anodynus, ſed quam tuentur non ab Opio, ſed ab aliis rebus; nempe, ceu Quercetanus refert, à ſulphure vitrioli dulci, vel etiam à metallorum eſſentiis aliis, vim anodynam poſſidentibus.

VII. Vtrum ex metallis & mineralibus confici poſſint anodyna?

Aff. Locuples admodum operandi modus, & experientia Chymica fidem faciunt, metalla omnia tranſire in perfectiſſima anodyna & ſomnifera. Utrum verò ea vis inſit, aut operatione ipsâ acquiratur, forſan non nemo dubitabit. Verùm utroque modo illam facultatem in actum deduci, omninò vero conſentaneum eſt. Hæc n. & alia infinita in metallis ſenſibilia non ſunt; actu ergò in ipſis haut exiſtunt; ſed fiunt talia & operatione producuntur. Potentia itaque fecit, ut illa producerentur ab arte, quæ antea latebant. Sic itaque, quæ exeunt ex miſtis reſolutis, cum antea laterent, nec poſſent agnoſci formâ atque actu ſuo, ea neceſſe eſt in eis fuiſſe. Hæc autem inſunt indefinitè: quodlibet enim in quodvis reſolvitur, ſed in determinatum. Impoſſibile enim eſt indeterminata ex determinatis fieri. Sic itaque etiam anodyna metallis, corporibus nempe illis mirabili prorſus naturæ opere in terris natis, & multâ prærogativâ virium & facultatum cæteris rebus omnibus præſtantibus, inſunt, ac ex iis fiunt. Aurum & argumentum artificio planè eleganter in vitriolum, illud in rubeum, hoc in cæruleum, reducta, deincepsque per putrefactionem & deſtillationem in oleum elaborata, & exiguâ quantitate, nempe gr. j, exhibita, anodyna, ſomnifera, prætereaque diaphoretica ſunt. Salia ♈is, ♃is, ♄i, ♀is, itemque ☿ii, dextrè affabreque facta, ſimiliter eandem operationem obtinent. De mineralibus, imprimis ♁, ⊖ 8 ♀, & aliis, res plana eſt, nec deſunt, qui hanc laudabilem in iis latitantem vim artificioſè eruere, & uſui accommodare poſſunt. De ⊖o hîc ſaltem celebramus.

VIII. Vtrum igitur & quomodo vis vitrioli narcotica extrahi inque uſum converti poſſit?

De ſulphure vitrioli anodyno, à Paracelſo *in lib. de reb. natural. cap. 7.* ubi de ſulphure ejusque ſpeciebus agit, inſignibus præconiis commendato, ritè rectèque præparando, tùm in uſum medicum adhibendo, hactenus

nus ſolliciti fuerunt quam plurimi. Quercetanus ejusdem encomia variis in libris deprædicavit. Paracelſus cùm modum, extrahendi non tradat, ſed ad alchymiæ proceſſus lectorem ableget; Quercetanus nuſpiam quoque ejus præparationem habeat, uterque verò ipſius ſulphuris vitriolati virtutem quam commendatiſſimam fecerit: unusquisque, pro opinionum ſuarum induſtria, ſtudioſè admodum idem explorare ac inveſtigare ſtuduerunt. Nonnulli omninò dubitârunt, utrum tale ſulphur ex vitriolo extrahi poſſit. Videntes enim, vitrioli rubedinem omnem, imprimis verò eam, quæ fit beneficio laminarum ♂, in ⊕-ſolutionem, per aquam communem factam, injectarum, & ad ſe, quod in ⊕-cupreum erat, extrahentium, hac poteſtate carere, eſſeque merum cuprum: ſiquidem facili fuſione illud in hoc abire cernebant: deſponderunt omnem poſſibilitatem illud acquirendi. Hujus extrahendi modi perquam plurimi à pſeudochymicis circumferuntur: ſed qui planè inutiles hanc facultatem non aſſequantur. Bernh. Thalerus, Medicus Auguſtanus, & Petr. Montanus, Medicus Strigenſis, olim id éxequebantur per ſimplicem ſolutionem ⊕-i in aqua purâ. Primò enim fecem, quæ in purgatione ſtatim ſidit, & quam ochram ⊕-i vocant removendo, ſulphur deinde citrinum, quod tandem ex puriſſimo, ſæpius ſoluto, & toties evaporato deſcendit, colligebant, atque ita ſolvendo & coagulando vitriolum pergebant, donec totum vitriolum in tale ſulphur citrinũ converſum fuerat. Idem compendioſiùs etiã faciebant, per oleum ♀i deliquiô factum in ⊕-i ſolutionem injectum, ubi ſimili modo ſulphur ⊕-i citrinum ad fundum præcipitatur, quod anodynum eſt. Alii colcothar ⊕-i Ungarici vel Cyprii ſummè priùs rectificabant, deinde illud ſuo ſale liberatum perfundebãt oleo rubro proprio ad madorem tantùm poſtea in phiala hermeticè obſignata in lento calore arenæ per 2. menſes macerabant; relinquebatur tandem vitriolum anodynum & tenax. Alii aliis modis idem tentabant, de quibus vide Libavium *ſyntagm. tom. 1. lib. 7. cap. 26. f. 361. & tom. 2. p. 1. apocal. Herm. c. 14. f. 275.*

De utroq; jam recitato modo, & de Quercetani ♀e ⊕-i anodyno ipſi incognito, ſcripſerã ante annos aliquot Martino Rulando filio, Medico Cæſareo, & judicium meum amicè & familiariter expoſueram, requiſitus videlicet ab eodem D. Rulando, ſimili quoq; libertate familiari ſcribendi, tùm ſæpe ante, tum etiam poſtea, de multis rebus uſo. Illo mortuo, literas iſtas meas, neſcio quo titulo, Libavius ſibi acquiſivit, & contra omne fas & viri boni officium ex iisdem publicè in poſtremo ſyntagmatis tomo nimis curioſè & ſcurriliter in me debacchatus eſt, ingenium nempe ſuum, ad maledicendum alioqui natum, etiam in meam felicitatem invidioſè detorquendo. Illud verò impudens os ſuo tempore peſſundabit propria temeritas. Is Colcotharis cum oleo ſuo macerationem, ad liquorem tenacem exinde producendum, qui anodynus eſt & dulcis, improbans, eum ♀is ⊕-i nomine dignum eſſe negat; id quod facilè concedo. Sed *in poſtr. ſyntagm. tr. 1. cap. 32. fol. 62. item alchym. pharm. cap. 32. f. 204. & part. 1. apocalypſ. Herm. c. 14. f. 275.* conſtanter dicit eſſe elixir ⊕-i. Sed quàm benè, fidem faciet definitio elixiris, quam *lib. 2. alchym. tr. 3. c. 1. f. 190.* idem probè poſuit. Si n. elixir eſt ſpecies Chymica ex pluribus diverſi generis ſimplicium ſpeciebus compoſita: cùm in hanc compoſitionem nihil diverſi generis ingrediatur, videat ſanè, quàm eleganter artificem arroſor ille cum regulis & præceptis loquentem tutatus ſit. Quercetanus profectò ſulphuris ⊕-i veram & genuinam præparationem ignoravit; id quod literis, paulo ante obitum ad me datis, ingenuè profeſſus eſt; atque in eo meam operam requiſivit. Itaque in libro, qui eſt noviſſimus omnium, quos edidit, pharmacopæa nempe dogmaticorum reſtituta, *cap. 23.* ubi theriacam recenſet *p. 513.* ut non ederet, quæ neſciret, ſibi id reſervare ſe velle, profeſſus eſt. Cæterùm Libavius, ut de ſuo videretur aliquid pro ſulphure ⊕-i dulci anodyno in mediũ attuliſſe *in primo tomo ſyntagm. lib. 8. cap. ult. f. 479.* ex ſuis collectaneis ſulphuris ⊕-i extractionem proponit, quam tamen alioquin tradit Paracelſus *l. 10. de tumorib.* Ex ⊕-o in colcothar redacto per acetum & per aquam pluviam extrahitur rubedo, ex hac coagulata iterum extrahitur ſubtilior, idque quinquies vel ſexies repetitur, donec lapis ſit guſtu dulcis. Eandem fortaſſis ex Paracelſo deſumtam feliciſſimus ille Wurzius, Chirurgus inſignis, *in Chirurg. ſuæ reſtit. poſt. cap. 4. p. 414.* docet ad confectionem unguenti ſui vulnerarii ſpadicei: hanc autem Libavius totidem verbis ex German. Wurzii in Latinum à ſe translatam, ex collectaneis tamen ſuis recenſet, nunquam profectò à ſe factam, nec uſu comprobatam, cùm neſciat, an anodyna ſit, nec ne: proinde eam pro baſi Laudani ⊕-ati admodum dubitanter eo in loco ſubſtituit. *In Tom. 2. ſyntagm. tract. 1. de ig. nat. cap. 32 p. 63.* ex Rupeſciſſa, male tamen intellecto, & in ſenſum longè perverſum detorto, ſubtiliſſimam eſſentiam, quæ cum ☿ ex ſublimatione ex ⊕-o evehitur, certoque modo ſeparatur, pro ſulphure ⊕-i vero ſincerè, ſi Diis placet, deſcribit & commendat. Ubi ſanè mirari licet hominis temeritatem, ea ex aliis fingentis, quæ vel nuſpiam ſunt, aut, ſi ſunt, talia tamen nunquam ſunt. Audiamus ipſum. *Suâ quidem*, inquit, *utitur Rupeſciſſa induſtriâ, ſed vin' ſincerum ſulphur vitrioli? Sublimati cryſtallos puriſſimos reduc in mercurium: Hunc pone in Athanorem ad putrefactionem. Emerget ſpecie nigredinis pinguis, quam collige; & per vini ſpiritum nobilem digere, tandemq; molliſſimo igni ad rubedinem perducito. Hoc verum eſt ſulphur vitrioli, quod quidem ſecretum appellamus. Nam cùm ſublimatum fiat ex ſale, vitriolo, & argento vivo: reductio ſalem ſuſtulit; vitrioli ſulphur incluſum hydrargyro manet, indeq; per putrefactionem ſegregatur.* Hactenus Libavius. Sed conferamus cum textu Rupeſciſſæ, qui eſt *42. cap. 1. de quint. eſſ.* Dicit initio dicti capiti *Quando Mercurius ſublimatur cum cuperoſa vel vitriolo Romano, & cum nitro & ſale, tunc aſcendit mercurius albiſſ. & quintam eſſentiam vitrioli ſine dubio trahit ſecum, & cum habes mercurium ſublimatum cum iſtis, habes inviſibiliter quintam eſſentiam eorum, abſconſam infra albedinem mercurii. Et illa quinta eſſentia inviſibilis vocatur ſulphur phiſophorum, quod eſt inviſibile.* Hæc Rupeſciſſæ ſunt per ſe manifeſta & clara. Mercurius enim in ſublimatione ideo diſcontinuatur, & à natura ſua fluxili degenerat, quia ex iis, cum quibus ſublimatus eſt, aliquid ſecum aufert, ſeu trahit, quod ipſum coagulat & in albiſſimum corpus convertit. Hoc autem, quod is ſecum traxit in ſublimatione, vocat Rupeſciſſa quintam eſſentiam vitrioli, & ſulphur philoſophorum. Loquitur nempe ad mentem prædeceſſorum ſuorum, imprimis verò Lullii. Pergit poſtea Rupeſciſſa, & docet modum ſublimandi ſulphur per aquam fortem, ex ⊕- & ⌽ factam, repetito ter iſto opere, donec nempe poſt ultimam ſublimationem nullæ feces in fundo vaſis reſtent. Atque h. m. habetur ſublimatum cryſtallinum, quod Libavius reducit in Mercurium, ut exinde ſulphur ⊕-i philoſophicum eliciat. Rupeſciſſa autem jubet, & quidem rectè, extrahere quintam eſſentiam ⊕-i à quinta eſſentia ☿ii. *Infunde*, inquit, *illud*, (h. eſt, Mercurium ſublimatum) *in aceto deſtillato, & dimitte reſolvi diu, & Mercurio reſidente in fundo, quinta eſſentia vitrioli vel cuperoſa ſine dubio remanebit in aceto.* Hanc verò ut denuò ab aceto ſeparatam ſeorſim ſiſtat, modum ſubnectit. *Extingue*, ait, ♂ *pluribus vicibus in aceto, hoc deinde acetum miſce cum illo, in quo eſt eſſentia vitrioli, remoto priùs nempe Mercurio, ad fundum antea reſidente, & habebis rem rubicundiſſimam, & ſplendidam ſupra modum: deſtilla per filtrum, & pone ad lentiſſimum*

ignem, & collige nebulas nigras, quæ generabuntur in ſuperficie, & quinta eſſentia ⊕-i, pulchrior etiam ☉e, remanebit in fundo. Hactenus Rupeſciſſa. Hæc verò omnia veriſſima eſſe docet experientia, quin imò ſulphur ⊕-i illius ex eodem obtinendi modus vix ullus erit commodior. Sed quid Libavius? *Tom. 1. ſyntagm. lib. 7. cap. 36. f. 361.* hæc eadem ex Lullio & Rupeſciſſa convenienter explicârat: nec enim iſta vel fallunt, vel obſcura ſunt. Idem videtur quoque innuiſſe *poſt. tom. tr. 1. de ign. nat. cap. 10. f. 21.* Sed, qui fiat, quòd *eod. tom. & tract. cap. 32. f. 63.* contrà mentem Rupeſciſſæ & omnium philoſophorum lucem in tenebras vertere non erubuerit, equidem neſcio: fortaſſis occæcatus ſtultâ illâ 🜍is philoſophorum ſeparatione, quod eſt illi nigredo innatans mercurio cuivis, modò aliquandiu ad putrefactionem poſito, quæ vel ſcoria eſt, ſi ☿ impurus fuerit, vel ipſius ☿ii ſubſtantia, in priſtinam formam reducibilis. Sic enim eandem pueriliter collegit Libavius in confectionem Lapidis philoſophici, peculiari tractatu ab ipſo conſcripto. Falſiſſimam itaque ſententiam ex Rupeſciſſa Libavius temerè fingit. Ille enim Mercurium per ⊕ & ⊖ ſublimatum non reducit in argentum vivum, ut ex eo colligat ſulphur illud ⊕-i, quod facit Libavius; ſed, ut fiat ſeparatio utriusque, tùm mercurii, tùm eſſentiæ vitriolatæ, jubet ſublimatum in aceto diſſolvi. Redit itaque ☿ h. m. in ſuam primævam naturam, & fit fluxilis; ſed eſſentia vitriolata in aceto latet, quam, reducto jam & demto mercurio, ut ab eodem mercurio viciſſim ſeparatam habeat, aliud acetum per extinctionem ♂ candentis præparat, quo fuſo in illud acetum illico eſſentia ⊕-i deſcendit; id quod omninò neceſſarium & factu facile eſt. Eſſentia itaque ſeu ſulphur vitrioli, cum mercurio ſublimato elevatum, poſteaquam hic in aceto ſolutus eſt, manet in aceto, & non in mercurio reducto. Ab illo itaque eſt ſeparabile; ab hoc repeti non poteſt, cùm non inſit. Quàm ſtultè igitur & incogitanter eclogarius Chymicus hoc ſulphur ⊕-i ex ☿io reducto & aliquandiu putrefacto obtinere velit, idque publico ſcripto doceat, hinc apparet. Tantum enim abeſt, ut in ☿io poſt ejus reductionem ſulphur ⊕-i incluſum maneat, ut, ſi ſit in ☿io, non poſſit auferri ab aceto, in quod depoſitum eſt propter ſolutionem & reductionem ☿ii, ſed ſeparatur ab ipſo ſolo aceto. Præterea ☿, ubi reductus, fit viciſſim homogeneus & purior; alieni itaque nihil in ſe retinere vel continere poteſt. Neutiquam igitur 🜍 ⊕-i in eo incluſum manere, multò minùs, quia in illo non eſt, ab eodem ſeparari poteſt. Quam autem nigredinem innatantem ☿io reducto & putrefacto ſophiſta colligere jubet, illa à totâ naturâ ☿ii non eſt aliena; in idem enim ☿ paulo pòſt redire poteſt.

Cæterùm his nugis Libavianis pro merito diſcuſſis, neceſſarium eſt, ut ad μελέτημα reſpondeamus: *Utrum nempe & quomodo 🜍 ⊕-i ſit extrahendum?* De primo quæſtionis membro jam conclamatum eſt, extrahi nempe illud, & in uſum medicum reponi: de modo verò nemo certi quid promittere poteſt niſi qui, ſtipatus experientiâ infallibili, ſulphur φλογιςὸν ſeu inflammabile ex ⊕-o ſeparare, illudque poſtea fixum reddere didicerit. Hoc enim ſolum poſt fixionem ſuam vim illam ſoporiferam edit. Quando itaque Thalerus & Montanus totam ⊕-i ſubſtantiam in tale ſulphur anodynum, ut ipſis videbatur, vertebant: quando etiam colcothar cum oleo ⊕-i in maſſam anodynam tranſit; hæc mitigativa vis ibi non erat totius ⊕-i converſi, ſed partis, nempe 🜍is inflammabilis; ſimul cum totâ vitriolatâ ſubſtantiâ, quodammodo converſâ, manentis, ac poſt fixationem ſuam vim exerentis: hîc v. longa digeſtione oleum ⊕-i cum colcothare figitur, in quo rudimenta 🜍is inflammabilis adhuc tum remanſere; unde poſt introductam tenacitatem & fixationem tandem paregorica ſeu anodyna vis in iiſdem quoque viget, ſed latè diffuſèque ſparſa: ideoque etiam non niſi majore quan[titate] [ex]hibitum effectum ſuum edit. Sic rubedo ex colcothare cum aceto & aqua communi extracta, ceu Libavius docuit ex Wurzio, eſt tenerior duntaxat ſeu ſub[tili]or ejusdem terra, ex toties repetitis cremationibus, ſolutionibus, & coagulationibus tandem dulceſcens, ſed [tamen] vim emplaſticam retinens: ideoque ad unguenta & emplaſtra perquam commodè uſurpatur. Quod autem cum Mercurio ſublimato aſcendit, eſt ⊕-i ſulphur eſſentiale & fixum: multarum quidem virtutum, ideoque non fruſtrà tot encomiis dilaudatum; ſed anodynâ vi caret. Qualeſcunque igitur 🜍is ⊕-i anodyni præparationes afferuntur, niſi ex ⊕-i inflammabili ſeu urente ſulphure originem trahant, pro ſinceris habendæ non ſunt. Duplex enim 🜍 reperitur in ⊕-o. Unum eſt urens ſeu inflammabile; alterum verò fixum: illud eſt adventitium & volatile; hoc verò eſſentiale & fixum: idque naturâ ſuâ: ſiquidem & illud volatile figi, inque maſſam permanentem, proptereaque non ampliùs urentem, converti poteſt. Fitque tum demum ſulphur ⊕-i anodynum, cui ſtupendas vires Paracelſus tribuit, quodque loco eſſentiæ opii in Laudano tutò aſſumi poſſe contendimus. Baſilius Valentinus Monachus *in tractatulis de præcip. mineral. & metall. paragr. de ⊕-o*, ſulphur ⊕-i urens duobus modis fieri poſſe ait: nempe per ſublimationem ⊕-i cum ſale ammoniaco purificato, quomodo dicit etiam ſimul aſcendere ipſum ⊕-i ☿ium. Deinde per præcipitationem ſoluti ⊕-i, vel cum oleo ♀i per deliquium facto, vel etiam per lixivium forte ex cineribus faginis præparatum. Priorem modum præfert poſteriori, quandoquidem ibidem corpus ⊕-i per clavem ipſius aquilæ, quam vocat ſalem ammoniacum, convenientiùs reſeratum eſſe ait. Neque hoc abs re. Eundem itaque modum ſimiliter cæteris præſtare dicimus: nunquam enim fieri poteſt, quin in præcipitatione ſoluti ⊕-i per alterutrum liquorem non tàm 🜍 ardens, quàm ⊕-i ipſum corporaliter deſcendat. Hæc ergò 🜍is ⊕-i confectio non eſt. In ſuperiore res eſt expedita. Salammoniacus n. in ſublimatione ⊕-i crudi, ſaltem ad albedinem dextrè calcinati, ſulphur volatile ſecum rapit, idemque poſtea in aquam deſtillatam, qua cum ſal ammoniacus viciſſim ab illo diſſolvitur, deponit, quod ab omni acrimonia ſalsâ diligenter elutum ⊕-i 🜍 eſt ardens. Figatur itaque, hoc eſt, volatilitas ipſi & inflammabilitas adimatur; erit verum 🜍 ⊕-i anodynum, quod quærimus. Cæterùm hæc fixatio eſt laborioſa & difficilis, exindeque pauciſſimis per experientiam cognita: quapropter ab ignorantia, quomodo videlicet 🜍 illud ⊕-i cauſimon in virtutem anodynam præparandum, ſeu, ut Paracelſus loquitur, graduandum ſit, hic perficiendi modus vel difficilimus vel omninò impoſſibilis judicatus eſt. Sæpe numero enim uſu venire ſolet, ut, ignoratis cauſis vel mediis, quibus in rem ipſam perveniri poteſt, de effectu dubitemus, vel etiam planè ad ἀδύνατα declinemus. Nunquid verò priùs omnia tentanda ſunt, quàm clypeus experientiæ abjiciendus, ſub cujus umbone certiſſima ſunt tutiſſimaque veritatis umbracula? Nos facilem hunc modum damus ſequentem, 🜍 nempe cauſimon ⊕-i extrahendi, idemque in vim paregoricam ſeu anodynam figendi. Rec. vitrioli communis elegantis, aut etiam vitrioli ♀is ℔ij. limaturæ chalybis mundatiſſimæ, ſine pulvere & inquinamentis aliis, recenter videlicet limâ attritæ ℔j. Tere invicem & miſce. Imbibe in cucurbita vitrea ad imum detruncata aceto deſtillato, ut ſupernatet digitum dimidium. Poſtea coagula in igne arenæ, eodem in fine auctiori: ſicco pulveri affunde ſatis bonam quantitatem aceti deſtillati. Relinque in calido per aliquot horas, & tingitur acetum. Hoc deplendo filtra: aliud affunde, idque ſimiliter tinctum inclinatione aufer, ut antea, atque ita procede tantiſper, donec acetum haut amplius tingatur. In hoc aceto colc[othar] & tincto eſt 🜍 ⊕-i urens. Si enim explorandi gratia ex

ejus

ejus aliquota parte acetum evaporaveris, &, quod reſtitabit, aqua purâ aliquoties edulcoraveris, illudque ſedulò igne lento exiccaveris, videbis igne admoto flammam concipere, & penitus ab igne inſtar 🜍is communis abſumi. Eſt igitur 🜍 🜖-i cauſimon. Hoc verò nolumus; ſed quærimus 🜍 🜖-i anodynum & fixum. Quod ut obtineas, ſic procede. In acetum, tincturâ 🜍is imprægnatum, mitte guttatim olei ♀i q. ſ. & illico 🜍 deſcendit & figitur: hoc, aceto abjecto, aquâ fontanâ aliquoties curioſè admodum elue, & habebis 🜍 🜖-i fixum anodynum. Hic verò modus eſt facilis, & nihilominus artificialis & rationalis. ♂ enim ideò additur, ut, quia ille propter unitatem naturæ facilè, quod cupreum eſt in 🜖-o, ad ſe trahit, vinculum, quo partes omnes mixtæ in 🜖-o cohærēt, hoc modo rumpatur, & eædem partes diſlocentur. Hinc igitur acetum affuſum, tanquam conveniens menſtruum, 🜍 urens in ſeſe imbibit, nec aliquid aliud ex 🜖-o vel ♂e aufert. Hoc enim cùm non ſit penitus in colcothar calcinatum, aceto rubedinem, quæ etiam tenerior ipſius pars terrea, communicare nequit. Præterea acetum nihil de corpore ipſius 🜖-i tollit. Cohæret enim id ferro, tanquam corpori homogeneo, & aliàs artificio ſimili in cuprum transmutabili, id quod tamen ſine 🜖-o vel aquis 🜖-atis nunquam fieri poteſt. Solum itaque 🜍 urens in acetum ingreditur, quod ab eodem ſeparatur viciſſim, vel evaporatione, vel præcipitatione. Per evaporationem manifeſtatur ſulphur volatile urens. Per præcipitationem ſulphur volans redditur fixum, incombuſtibile, ac inſuper anodynum. Hoc itaque eſt ſulphur illud vitrioli anodynum & fixum, tantoperè deprædicatum, & à multis quæſitum. Cum eo, eâdem præparationis lege, & ingredientium modulo, ut ſuprà, fit loco opii laudanum nobile. Eſt illud inſuper laudani epileptici & uterini baſis, de quibus ſequenti quæſtione.

Coronidis loco de Laudano ſeu Nepenthe Quercetani hæc notatu digna occurrunt. Is ultimo conſiliorum ſuorum, penè ſub finem, ante deſcriptionem, pro certo affirmat, præcipuam vim narcoticam, quam Nepenthes ſuum poſſidet, depromtam eſſe è 🜍e 🜖-i dulci, ex 🜍e ☽æ, tincturâ coralli, eſſentiis croci & camphoræ. Poſtea deſcriptionem ſubjungit; ſed imperfectam planè, & nullâ elaboratione poſſibilem. Is enim, quodnam & quale eſſet 🜍 🜖-i anodynum, nunquam, niſi forſan extremis ſub annis vitæ, cognovit. Conſilia verò edidit anno 1603. Anno proximè ſequenti venit in Haſſiam, ab illuſtriſſimo Principe Mauritio vocatus: Tum temporis non oſtendit ſuum Nepenthes; elaborando verò illud pertexere volens non potuit. Communicavit verò amicis ſequentem deſcriptionem; ſed pari difficultate laborantem. Rec. ait, Colcotharis 🜖-i Cyprii, vel etiam Ungar. opt. unc. iiij. adde Lunæ cum aqua forti calcinatæ, & benè edulcoratæ drach. x. cum aceto deſtillato mellito deſtillentur decies ad minimum, ſemper novo affuſo aceto, in vitro amplo & capaci; valde enim incaleſcit, & ſolvitur tota maſſa inſtar mellis, fitque ad modum ſacchari dulcis. Suprà iſtud pondus adde eſſentiæ croci, quantum ex unc. iiij. ejus extrahi poteſt. & cochlearia duo ſyrupi ex aniſo, cinnamomo, & caryophyllis compoſiti, myrrhæ, mumiæ ana drachm. ij. magiſt. perlarum & corallorum ana drach. j. Super hanc maſſam ſpir. vini optimè rectificatum ſepties cohoba. Et cum hac miſtione & cohobatione colcothar 🜖-i reducitur in anodynum præſtantiſſimum, quod Nepenthes vocamus. Doſis granum piperis. Hoc, inquam, Quercetanicum Nepenthes non caret difficultate tùm elaborationis, tùm nihilominus haut exoptati proventus. Colcothari enim & calci ☽æ dulcedo nulla conciliari poteſt à toties exinde cohobatione revocato aceto cum melle deſtillato; nec miſtio inſuper reliquorum adjectaneorum aut ſpiritûs vini vim anodynam in illis excitant. A nihil itaque efficiente, licet præſuppoſitus quidem effectus ratiocinando, tamen experiundo ut certus procreetur, impoſſibile eſt.

IX. Quomodo Laudana cum ſulphure vitrioli anodyno ad epilepſiam & ſuffocationem uteri parentur?

Suprà in 7. Theorematis conſectario ultimo, & in exegeſi diximus, parari alia duo Laudana ſpecifica: unum epilepticum, alterum hyſtericum. Utrumque ex baſi 🜍is 🜖-i anodyni; ſed ex oleo ſeu ſpiritu camphoræ ad morbum comitialem: ex extracto verò clavorum, tibiis poſteriorum pedum in equis adnatorum, ad ſuffocationes matricis, cum cæteris ad compoſitionem Laudani requiſitis miſcibilia. Utrobique manet eadem componendi ratio; niſi quòd pro opii eſſentia 🜍 🜖-i anodynum accipiatur. Magiſteria autem coralliorum & perlarum extractum item croci, legitimè præparata admiſceantur.

Spiritus ſeu oleum camphoræ ad Laudani epileptici compoſitionem eſt tale. Solve camphoram tritam in ſpiritu antepileptico, ex 🜖-o & urinâ puerorum dextrè facto, leni calore, & camphora in forma olei clari elevabitur ad ſuperficiem ſpiritus: hanc ſeorſim collige, & addito pauco ſpir. vini cum terræ argillaceæ ſiccæ q. ſ. ad incorporandum, & ut inde globuli fieri poſſint, diligenter & agili manu miſce: poſtea deſtilla ex igne arenæ, per retortam vel etiam alembicum, & prodibit oleum ſeu ſpir. camphoræ pulcherrimus & valdè fugax, qui probè aſſervandus. Rec. itaque Laudani ex ſulphure vitrioli facti unc. ij. adde ol. camphoræ unc. j. Miſce diligenter & ſerva. Hoc à gr. j. ad iiij. datur vel in paroxyſmo & citò ſolvitur: vel deinceps aliquid aliquandiu, præſertim circa novilunia, cæteris ad hujus curam neceſſariis obſervatis. Non tantùm paroxyſmus tollitur, ſed etiam morbus planè aboletur.

Deinde ad alterum hyſtericum Laudanum collige ficus ſeu clavos, quos equi, quò generoſiores, eò etiam eosdem majores & efficaciores, in poſteriorum pedum tibiis adnatos habent, & quos ſingulis annis ipſa natura, menſibus Februario & Martio ſponte cadentes, & viciſſim poſtea in magnum ipſorum equorum ſublevamen renaſcentes, exuit. Iſtas, inquam, ficus circa illos menſes collige, ſponte caſuras, nunquam vi, quæ omninò noxia fuerit, avellendas. Exiccatas redige in pulverem; poſtea aquam meliſſæ, cum vino antea deſtillatione prolectam & factam, denuo ſuper gagatis & ſuccini ana q. pl. pulverem deſtilla, igne in fine aliquantulum fortiori. Cum hoc menſtruo extrahe ficus illas equinas, & redige in formam extracti. Hujus extracti drach. n. iij. admiſce laudani 🜖-ati unc. ij, & facies Laudanum hyſtericum nobile, præſentaneum ad ſuffocationes uteri remedium, ſi ejus aliquid à gr. j. ad iiij, in liquore convenienti exhibueris: illicò enim ſolvitur.

X. Utrum in compoſitionem Laudani eſſentiæ aliæ & olea deſtillata ritè ingrediantur?

Neg. Compoſitiones enim medicamentorum, quò primævæ ſimplicitati fuerint propriores, eò efficaciores: nec poteſt fieri, quin multa, etiam pretioſiſſima, coacervata minoribus viribus ſtipata ſint, cùm diverſitates effectorum ſingularium ad unum certum & adæquatum effectum producendum minùs diſpoſitæ ſint. Quercetanus *in pharmacopæa* magiſteria gemmarum, hyacinthorum, terræ item ſigillatæ, pulverem bezoardicum verum, unicornu, ambram gryſeam, præter neceſſaria coralliorum & perlarum magiſteria, eſſentiamque croci, in priorem compoſitionem Laudani ſui opiati accenſet. In poſteriorem infinita alia colligit: extractum nempe bezoardicum, è 17. ſpeciebus cum juniperino ſpir. paratum, extracta item mumiæ & myrrhæ,

rhæ, ambram præparatam, os de corde cervi, prætereaque adduit reliqua neceſſaria. Crollius, *in Baſilica*, præter alia Quercetanica addit in defectu auri potabilis genuini, ſine corroſivis præparati, oleum aniſi, carvi, aurantiorum, citriorum, nucis moſchatæ, cinnamomi, caryophyllorum, ſuccini. Sed nullo penè cum commodo alio, niſi quod operam perdere voluerit. Hæc enim facilè evaporabilia ſunt, indeque, ſi addenda quidem ſint olea, potiùs doſi jam exhibendæ adjicienda fuerunt; quemadmodum etiam nec oleum camphoræ ad epilepticum laudanum ſpirituale totaliter admiſcendum eſſe ſuaſerim, cùm citiſſimè exhalet. Præterea ab adjectione variarum rerum non poteſt fieri, quin doſes quoque augendæ fuerint, quæ etiam ſæpè propter exiguam molem moleſtæ eſſe poſſunt. Quamobrem melius ſemper fuerit, ſimplicitati ſtudere. De reliquis reliquorum laudanorum compoſitionibus variis & copioſis idem judicium eſto.

THEOREMA VIII.

Vſum Opii medicum Veteres nonnulli prorſus damnârunt; quidam contrà ab experientia edocti, in inſigniorem ejus utilitatem inquirentes, tùm externè, tùm internè inprimis, antidotis admiſcere non dubitârunt. Correctum autem, & in Laudanum laudatiſſimum præparatum, multorum morborum impetum non modò refringere poſſe, hoc ſeculo ſaniorum Medicorum expedita & cum recta ratione conjuncta ſolertia maximè fidem facit.

Conſectaria.

1. Opium itaque crudum in uſum medicum nunquam adſciſcendum.

2. Præparatum autem, & in Laudanum genuinum dextrè redactum, Medicum bonum cumprimis felicem reddit.

3. Abſque Laudano igitur Opiato, probè facto, prudenterque adhibito, praxis medica in pleriſque morbis laudabilis admirabiliſque haut efficitur.

4. Studioſiùs igitur id acquirendum, ſolerter conficiendum, & cum judicio uſurpandum.

Exegeſis.

Poſt Opii hiſtoriam ejuſque præparationem rectà de Uſu diſquirendum eſt. Nec enim illa omnia ſcientiam de Opio tàm firmam reddere poſſunt, niſi à fine, tanquam expletione menſuræ certæ, & ſine quo quicquam exiſtere non poteſt in natura, uſus quoq; ejus prodatur. Uſus itaque tùm opii, tùm, quod exinde paratur, laudani, hanc diſquiſitionem noſtram ad finem perducet.

Quæritur.

I. Vtrum Opio uſi ſint veteres.

In hac quæſtione ventilanda diſtinctione nobis opus eſt. Eraſiſtrato enim authore, referente Dioſcoride *cap. 63. lib. 4.* Diagoras uſum ejus in totum damnavit, oculorum lippitudinibus & aurium vitiis infundi vetans, quoniam viſûs aciem hebetaret, & ſoporem gigneret. Addidit Andreas, illitos eò protinus excœcari, ſi non adulteretur. Mneſidemus uſum duntaxat olfaciendi probavit, quoniam ad conciliandum ſomnum conveniret; alioquin illo, ut noxio, interdixit. Horum verò opiniones ipſe Dioſcorides ab effectibus opii ſalutaribus refutavit, ejuſque uſum non improbavit. G[illegible]us paſſim opio utitur; temerè tamen aut inconſultò ad uſum opii haut eſſe deſcendendum, prudenter idem monet: id quod apparet ex *2. & 3. lib. de comp. med. ſ.l.* M[illegible] & cæteri tùm Græci, tum Latini uſum opii ſubinde in ſuis compoſitionibus laudârunt. Diſcorides itaq; & G[illegible]nus, cæterique poſt illos vetuſtiores, opii uſum ex agro medico non eliminant. Quin imò antiquitus nulla unquam antidotus abſque opio locum in Medicina invenit. Theriaca, regina illa omnium medicamentorum dogmaticorum, à Damocrate, Antipatre, Ælio Gallo, E[illegible], Paulatino Socratis diſcipulo, Zenone, Claudio Apollonio, Antiocho rege, Xenocrate Platonis diſcipulo, Scribonio Largo, Mithridate & Attalo regibus primum excogitata, ab Andromacho elaborata, à Galeno p[illegible]; opii unc. iij recipit: Mithridatium Damocratis habet opii drachm. v. Confectio Archigenis, à Meſue in cap. de tuſſi humida deſcripta, opii unc. ß: Aurea Alexandrina Nicolai Græci drachm. ij. Opopyra magna, ſanctis Coſmæ & Damiano attributa, drach. ijß: Athanaſia magna drach. jß. Philonium Meſuei & Tharſenſe drach. x. Perſicum drach. v. Romanum unc. jß. Requies Nicolai drach. jß. Triphera magna Nicolai drach. ij. ejuſdem, recipiunt: ut & hinc manifeſtum ſit, ejuſmodi compoſitiones omnes non, niſi quia opium reciperent, opiatas a veteribus vocatas eſſe. Fuit itaque uſus opii vetuſtiſſimis ſuſpectus, quandoquidem periculoſi effectus à nondum planè cognita medicamenti vi ſæpius nimis formidoloſos ipſos reddidiſſent. Poſterior verò ætas, à Dioſcoride ad Galenum usque & cæteros Græcos, aliquanto ſagaciùs in rerum effecta inquirens, auſa eſt opium in compoſitiones adſciſcere, & ad uſum medicum traducere; ſed nunquam niſi adjectione croci, myrrhæ, & caſtorei, quibus ejusdem vim ſtupefactivam corrigi vel mitigari exiſtimabant.

II. Vtrum eodem utantur Recentiores?

Utuntur, & tàm internis quam externis medicamentis admiſcent: ſed cum cautione, quam à veteribus acceperunt. Fernelius *lib 6. med. meth. cap. 5.* ubi agit de Narcoticis: *Opium*, inquit, *niſi moderatum & correctum fuerit, periculi plenum exiſtit &c. Hoc igitur*, pergit Fernelius, *non niſi cum dolor acerbior vires diſſolvit, ſyncopeſq; metum incutit, nec alia remedia juvant, medicamentis permiſcendum.* Rectè id quidem, & cum eo totus Dogmaticorum ordo: Opio nempe incorrecto nunquam utendum eſt. Sad an illud adjectione calidorum corrigi, mitigari, retundique poſſit, ſuprà *quæſtione unica ad ſextum Theorema*, ubi de præparatione Opii veterum egimus, planiſſimè oſtendimus. Vidimus præterea, & ad oculum oſtendimus, hanc vim ſtupefactivam opii poſitam eſſe in ejusdem ſæ immaturo, fœtido, maligno. Eo igitur ablato & artificiosè ſeparato, Opium reliquum, ſuaviſſimum odorem de ſe ſpirans, in eſſentiam planè nobilem & exaltatam repoſuimus, quā ſingulis illis vulgaribus correctionibus longè præferimus, & ad uſum tutiſſimum commendamus. Cæterùm ad varios morbos variè opium crudum hoc ſeculo adhiberi à Medicis, teſtantur Practici, & [illegible] diſpenſatoria quoque loquuntur. Ingreditur enim opium non tantùm in recentiorum antidotos, qualis eſt v. g. Matthioli & Auguſtanorum Theriaca: ſed uſurpatur etiam ad affectus ſeu dolores capitis, oculorum, [illegible], narium, dentium, adverſus catarrhos, item [illegible]ſionem hæmoptoicam, ſanguinem concretum, [illegible] culi dolores, ſingultum, gonorrhæam, [illegible], hæmorrhoidum, & menſium, ulcera & pruritum [illegible], præſcribunturque in diarrhæa, dyſenteria, teneſmo, purulentis urinis, ſplenicis affectibus, matricis inflammationibus, arthritide, lue Venerea, aliiſque morbis [illegible], de quibus ſanè conſulantur practici: ut hodi[illegible] ſeculum non tam rigidos cenſores admittat, adverſ[illegible] um, ad rem medicam adſciſcendum, prom[illegible]s,

qualès

quales olim Diagoras & cæteri fuere. Nihilominius ab ipſa ἰατρικῇ Chymica nobis edoctis, experientiaque adductis, hoc ſalvum manet axioma: crudo opio in medendo nunquam utendum eſſe.

III. Utrum Opium ſit efficax ad ſtimulandam Venerem?

N. Utrum Opium ſit ἀφροδισιαστικόν, h. eſt, an id comeſtum ♀em ſtimulet, non immeritò quoque diſquirendum eſt. Apparet n. ex Cardano, Scaligero, & aliis, illud inter Venerea connumerari, in quem finem nempe Turcæ & Indi frequentiſſimè eodem utantur. Verum enim verò hanc aſſertionem Cardani ipſe Scaliger non abſolutè probare videtur, dum *exerc. 175.* ſubdubitando quærit. *Si*, inquit, *Amfiam* (quod eſſe Opium ſuprà diximus *qu. 2. th. 3.*) *ſit gelidiſſimum ab omnibus philoſophis judicatum, quomodo itaque Venerem ſtimularet?* Id quidem non malè: nec enim frigida familiaria Veneri ſunt. Abundè verò, infinitis adductis rationibus ad *qu. 2. Theor. 5.* oſtendimus, Opium eſſe calidum. Calida verò Veneri excitandæ perquam apta exiſtere, conſenſu Medicorum hactenus ſtatutum eſt. Nunquid igitur opium, quia calidum, ἀφροδισιαστικόν cenſebitur? Illa ab eruditis ſic proclamata eſſe, nō inficiamur; ſed calida, quà calida, per ſe ſolùm Venerē promovere poſſe, id eſt, quod pernegamus. A principio enim ſeminario, tàm inſito, quàm analogo, ut emanant omnium ſpecierum individua, ita ab eodem omnes proprietates eſſentiales derivantur, nullis tamen non utrinque concurrentibus Elementorum qualitatibus, per ſe, ad afficiendum impotentibus, niſi videlicet iſtas proprietates ſubſequerentur. Sic itaque Opium, etſi calidum, naturâ tamen ſuâ inſitâ, quæ à ſeminaria ipſius vi dependet, ad ſtimulandam Venerem planè inefficax & inhabile exiſtit. Quâ ratione alia multa calida eandem ob cauſam ad eundem affectum haut proſunt. Inſuper ab Opio Venerem haut juvari, docet experientia. Garcias ab Horto *cap. 4. lib. 1. arom.* vidit nonnullos Luſitanos ab ejus eſu planè ſteriles & impotentes effectos; imò ex Navigationibus Hugonis Linſchoti in Orientales Indias Indorum propriâ confeſſione liquet, ab impenſiùs devorato opio ſterilitatem ac impotentiam, penitus exareſcente ſemine, introduci. Præterea qui veſcuntur opio, ſtupidi & dormitabundi ſemper incedunt, tantum abeſt, ab eo proniores in concubitum fieri. Non eſt verò prætereundum, enarrante Linſchotto, interdum Opium ab Indiæ ſatrapis ſumi, non ut libidinem excitent, ſed ut excitatam prolongent; ab eo enim ſumto profluvium ſeminis diutius ſuſpenditur, Indiæ mulierum expetitâ delectatione, quibus eodem momento naturarum concurſus gratiſſimus eſt. Per accidens itaque Veneri, non ſtimulando, ſed actum Venereum prolongando, Opium inſervire poſſe, hinc credimus.

Cæterùm cur hactenus creditum ſit, Indos, Mauritanos, Turcas, & populos Orientales ab uſu opii ſeu amfiam in Venerem exſtimulari, id non aliunde evenit, quàm ab ipſarum rerum, quibus promiſcuè illi populi veſcuntur, confuſione. Præter enim Opium, ſeu amfiam, devorant quoque Banguem, & Aſſin ſeu Aſſeral, item Maslach. Amfiam verò non eſſe Aſſeral, nec hoc vel illud eſſe Turcarum Maslach, ſuprà *qq. 3. & 4. Theor. 3.* ſatis luculenter demonſtratum eſt. Hæc autem omnino diſſimiles effectus cum Opio habent. Furioſos enim & animoſos inprimis Maslach, quod eſt clyſſus è cervaria, utentes reddit: ideoque hoc exſuſcitandæ ſalacitati inidoneum haut fuerit. Veſcuntur itaque iſti populi Opio, Bangue & Aſſi ſeu Aſſeral ad dulcem poſt exantalatos labores requiem, & ſuperatorum malorum oblivionem introducendam; Maslach verò devorant tùm ad animoſitatem conciliandam, tùm etiam ad exſuſcitandam laſciviam.

IV. Utrum præſtet Opio crudo, quam præparato, uti?

Hanc quæſtionem penè diſſolvit communis diætandi ratio. Crudis enim rarò utimur; plerumque coctis, h. eſt, elixis & aſſis menſæ noſtræ onerantur: niſi obſonandi gratiâ interdum fructibus crudis menſas ſecundas temperemus; quæ tamen ſuis quoque limitibus circumſcribenda fuerint: ſecus non ſine noxa corpori quoque noſtro nimiùm inimica futura. Potior ratio exiſtit in medicando, ſeu corpus noſtrum immutando: id quod omnino debet fieri, morbos radicales, in corpore ex ſemine ſuo prognatos, vitalibus & potentibus remediis auferendo. Quemadmodum itaque ligna & lapides ſtatuas ipſas nemo dixerit: ſic crudam illam materialium farraginem medicamenti nomine nemo dignabitur. Nec enim morbos morborumque genitores externis illis qualitatibus, & mortuis ſuperficierum umbris, infelici errore adſcribimus: multò minus entia medica à ſimilibus accidentibus determinamus; ſed proprietatibus eſſentialibus, à ſeminario principio pendentibus, fota & prægnantia in medium reponimus. Hinc itaque omnino apparet, crudis civitati Medicæ planè interdicendum eſſe, nec ea uſpiam, niſi fortè extrinſecus, admittenda: &, licet quandoque ſanentur ab iis morbi quidam, hanc tamen nec veram & perfectam ſanationem dicere, nec illa vera ſinceraque medicamenta vocare poſſumus. Idem itaque de Opio pronunciamus, cujus ♀ ſtupefactivum, immaturum, & fœtens cùm veneni poteſtatem ipſi conciliârit, utpote propterea intervenena relato, etiam propter hoc ipſum jure merito, ſine præcedente præparatione, quæ eſt ſeparatio puri ab impuro, in uſum medicum admittendum non eſt. Pro Opii itaque uſu ſtamus, eumque in praxi medica tuemur: ſed niſi exinde laudatiſſimum elixir, quod Laudanum vocamus, præparatum, ritèque factum fuerit, intrinſecus nullo pacto adhibemus.

V. Quænam ſint potiſſimæ proprietates Laudani affabre & artificiosè parati?

De uſu Opii veteribus recepto hactenus & quidem in genere diſputatum eſt: nunc diſquirendum quoque nobis eſt de uſu ejuſdem in ſpecie. Opii crudum uſum nullum concedimus; internam enim ejus ſumtionem damnamus: de præparato itaque, & in Laudanum laudatiſſimum artificiosè ſubtiliterque redacto, tantùm præcipiendum nobis eſt. Priuſquam verò id fiat, aliquid dicendum eſt de proprietatibus generalibus, quibus Laudanum, ritè rectèque paratum, dotatum eſſe debet. De forma ejus externa ſuprà in præparatione innuimus: minùs itaque de ea ſolliciti ſumus; modò certum & exploratum ſit, eſſentiam opii, demto ♀e narcotico, omnis nimirum veneroſæ malignitatis ſubjecto, ab omnibus ſordibus & inquinamentis reliquis liberatam, (id quod à ſolo aceto apprimè fieri poſſe, & oſtendimus & vidimus) deinceps expetitâ compoſitione cum cæteris ingredientibus neceſſariis, ſed paucis, debitè conjunctam eſſe. Nepenthes Helenæ Homero Odyſſ. δ. fuit ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων, bile & moleſtia liberans, ac omnium malorum oblivionem introducens: idem de Laudano ritè præparato ſibi polliceri poteſt elegans Medicus. Eſt enim doloris ſedativum, blandiſſimi ſomni generativum, omnium fluxionum refrictivum, ardorum conſumtivum, & naturæ ipſius confortativum. Liberat itaque à moleſtia, & pernicioſorum acutiſſimorumque dolorum oblivionem, ſuaviſſimâ requie naturam demulcens, infert. His igitur proprietatibus præditum eſt Laudanum, quas partim natura ex ſeminariis ſuis tincturis ipſi impreſſit, partim etiam ars, corrigendo nempe, & in eſſentiam nobilem exaltando, conciliavit. Virtutes enim rerum tum demum ſenſibiles ſuas actiones produnt, ubi ab elementariis iſtis quisquiliis liberatæ, & à compedibus q. ſolutæ, deſtituuntur

tur impedimentis, cùm alioquin vel malè, vel nihil agant, utpote ab externis illis, & ad conſervandum ſaltem aliquo usque accedentibus, involucris ſuperficiariis ligatæ, quo minus aſtra ſeu poteſtativæ illæ δυνάμεις Hippocraticæ in iis vel bene, vel omnino agere poſſint. Quicunque igitur eſſentiale Laudanum Opiatum, ritè rectèque paratum, ipſi naturæ convenienter applicare poterit, is meritò gaudebit, ſe inſtructum eſſe theſauro Attalico, & poſſidere medicinam, illis quinq; antè enumeratis effectibus prægnantem. Ad illud, in acie novaculæ, tanquam ad ſacram ſalutis anchoram, confugere poterit, nec vigiliæ, dolores capitis, delirium, morbus comitialis, cardialgia, pleuritides, vomitus, arthritides, lumbago, uteri ſuffocatio, febrium inquietudines, aliique quàm plurimi affectus repugnabunt. De iis verò præcipient particulatim cæteræ, quæ ſequuntur, quæſtiones,

VI. Vtrum Laudanum Opiatum tutò dari poſſit?

Aff. Ἀσφάλειαν ſeu ſecuritatem exhibendi Laudanum Opiatum, ab omnibus partibus abſolutum, concomitari, demonſtrat ejus diligens & perfecta præparatio, confirmat Medici prudentia. Quia itaque, ablatis omnibus impuritatibus noxiis ab opio, non niſi nobilior eſſentia reſtans, inſuper cordialibus & confortativis reliquis, magiſteriis nempe perlarum & coralliorum, extracto item croci, exaltata, in maximè utile & ſalutare medicamentum, quod jure merito ſotirellam dixeris, deſiit, quis de ejus ſecuriſſimo uſu prudenter inito dubitare unquam poſſit? Opium in parva quantitate ſumtum, quâ plerumque in magnis illis compoſitionibus de quibus ſuprà, propinatur, naturalem calorem non ſuffocat, nec ſenſus ſtupefacit, retinuit nihilominus illud ♀ ſuum narcoticum, omnis malignitatis alioquin autorem, acrimoniam inſuper ſuam non depoſuit. Nunquid igitur è Laudano, primùm omni ſuperfluitate ſulphureâ narcoticâ carente, deinde ab acrimoniâ ſuâ liberato, rebus denique bezoardicis & cordialibus mixto, aliquid mali timebimus? Abſit. Præterea quantumvis Laudanum dolores ſedet, ſubtiles humores condenſet & incraſſet, deteriores tamen ut efficiat propterea morborum cauſas tantum nonnullas præparet, & ad expulſiones habiliores efficiat. In acutiſſimis enim doloribus podagricis, ubi materia plerumque inconſtans & vaga eſt, ſolertia Medici à purgantibus abſtinere cogitur: ipſi enim haut inconſultè parendum eſt, ne à catharticis irritatæ fluxiones majores cum impetu irruant, & dolores doloribus ingeminent. Quapropter ſatius fuerit, ad conſopiendos dolores, materiam prætereà mobilem compeſcendam, adeòque ad ejus ἐπίκρασιν per aliqualem condenſationem deducendam, ut tandem aut à natura reſolvi & conſumi, aut convenientibus mundificantibus, expurgari poſſit, Laudanum opiatum cum judicio & temporis oportunitate prudenter præbere, & ſcopum curationis feliciorem attingere, quàm temerè periclitari. At formidabile eſt forſan Laudanum, proptereaque minùs tutum, quia ab eodem aſſumto paulo pòſt mortem nonnulli oppetere viſi ſunt? Sed & lapidis bezoardici, unicornu, perlarum, aliusque cordialis medicamenti ſumtionem, imò & clyſterum uſum, ſæpè ſubſecutæ ſunt mortes. Ex plebiſcito itaque ſi quis ita argumentatus fuerit, næ ille etiam optimorum ſaniorumque remediorum uſum, eventu non ita bono aliquando aliunde cauſato, traduceret. Et mors ſæpius intentata, evictâ nempe naturâ; tum ſequitur, nunquam reſpuit conceſſa excellentia alioquin & tutiſſima medicamenta. Naturæ enim defectus, ubi ſe medicamentorum viribus reſtaurarique haut patitur, homines in acerbiſſima morbi parte mori facit. Ideoque in ejusmodi caſibus etiam in glorius philoſophorum lapis exiſtens hanc labeculam periculoſi medicamenti minimè effugere valeret. Semel enim pereuntem præſidia etiam excellentiſſima ampliùs haut curant. Propter has itaque ſimplices inſtantias Laudanum opiatum, benè præparatum, prudenterque adminiſtratum, à tutiſſimo uſu non deteritur, ſed planè eſt egregium laudatiſſimumque inſtrumentum in manu Medici eleganter prudentis & ἐυχαρισάτε.

VII. Vtrum conciliando ſomno, auferendoq; dolori tantùm, an aliis morbis, Laudanum Opiatum rectè accommodari poſſit?

Sunt, qui exiſtimant, Laudanum Opiatum ſaltem ſomno conciliando, dolorique leniendo ſufficere, nec cęteris morbis utiliter adhiberi poſſe. At verò opium crudum in quamplurimas medicamentorum compoſitiones, diverſis accommodatas morbis, ingredi, tùm recentium pharmacia fidem facit. Quod ſi itaque licet opium crudum non tàm doloribus demulcendis, ſomnoque conciliando, quàm aliis morbis tollendis in therapeuſin adſciſcere, ceu demonſtratum eſt paulo antè *in fine qu.* 2. cur de Laudano opiato, omnibus numeris abſoluto, trepidabimus? Quippe multò certius auxilium ab eo reportabitur, modò univerſa ipſius œconomia, quæ elegantis præparationis & prudentis adminiſtrationis eſt, ſalva ſit, quàm ſi crudum adhiberemus. Aliis itaque morbis idem rectè accommodari poſſe, declarabunt etiam ſequentia.

VIII. Vtrum Laudanum opiatum ad morbos capitis, inprimis epilepſiam, conducat?

1. Dolorem capitis, præter modum ſymptomaticè affligentem, qualis eſt non tantùm in tribus iſtis ſpeciebus, cephalalgiæ, cephalæa, & hemicrania: ſed & in galeata paſſione, & quæ ab Avicennæ aſſeclis Soda dicitur, Laudanum demulcere penitusque auferre poſſe, ſuadet tùm locus affectus, tum ipſa ratio, cum experientia conjuncta. Diſtenduntur enim membranulæ vel in toto capite, vel ejus aliquota parte duntaxat. Iſtam diſtenſionem, à quacunque cauſa factam, Laudanum mitigat. Cauſas enim diſtendentes, mediocriter conſtringando, vel inhabiliores ad operàndum reddit, vel prorſus abſumit. Sic itaque de doloribus capitis à laudano curandis res expedita eſt, 2. In cæteris cerebri morbis gravioribus, apoplexia, paralyſi, lethargo, caro, comate, veterno, vertigine, catalepſi, ſtupore &c. ſuſpendendum eſſe laudani opiati uſum, res ipſa, morborumque iſtorum gravitas monet; niſi forſan indicationes non leves acceſſerint, etiã ab illo aliquid ſubſidii expectandum eſſe. 3. An autem Laudanum nominatim in epilepſia, item in mania, delirio, phrenitide, melancholia, exhibendum ſit, breviter diſcutiendum eſt. Epilepſia, morbus ille Herculeus, vulgo vix tum Herculem inveniſſe creditur, cujus clavâ edomitus terga prorſus verterit, nuſpiam antiquos lares repetiturus, graviùsque afflicturus: at vero conſtans fama eſt, patrum noſtrorum memoriâ non unum aut alterum extitiſſe, qui immanem hanc hydram protinus, non igne uſtulatorio illo, ſed medicâ manu, ſuſtulit. Remedia arcanorum epilepticorum ſunt varia; nobis hîc quæſtio duntaxat movetur, an epilepſiæ ſanandæ laudanum opiatum auxilium ferre poſſit? Diximus & oſtendimus ſuprà *qu. 9. theor. 7.* ex ⊖-i ♀e narcotico, ritè ſegregato & præparato cum ſpir. ſeu oleo camphoræ, magiſteriis item coralliorum & perlarum, ac eſſentia croci, confici Laudanum epilepticorum, cujus nimirum mirabilis eſſet vis ad hunc morbum, quacunque de cauſa generatum, ex fundamento, cæteris neceſſariis auxiliis non neglectis, curandum. Cæterùm ♀ ⊖-i narcoticum viribus & poteſtatibus æquipollet opio correcto, & in eſſentiam ſalutarem exaltato; nec diſpar eſt utriusque facultas. Laudanum enim ex alterutro confectum, iisdem proprietatibus valet, quibus laudana opiata ſingula valere debent. Tantùm, ut ad morbum comitialem magis ſpecificaretur, oleum ſeu ſpir. camphoræ, cum ſpir. ⊖-i antepileptico, ex ⊖ o &

puero-

puerorum urina facto, exquiſite præparatus additus fuit. Hinc igitur epilepſiæ ſanandæ probatiſſimam ſpecificamque antidotum in ſe continet. Quod ſi igitur pro baſi Laudani epileptici ⊖-ata ſubſtitueris opiatam, cætera verò nihil immutaveris, ad gravem iſtum capitis affectum idem nec aliud medicamentum habueris: ſimili itaque pariliqùe facultate unum eundemqùe utrobique effectum producendum tàm hoc quàm illud comparatum fuerit. A Laudeno itaque opiato, epileptico, hoc eſt, camphorato comitialem morbum curari poſſe, dictu factuque abſonum haut eſt. Idem confirmat Crollius *pag. 179.* in viribus & uſu Laudani ſui opiati, (quamvis id propter hyoſcyami, quam recipit, eſſentiam minùs nobis probabile: Vide ſup. *quæſt. 5. theor. 7.*) ac idem in epilepſia offerri ſolere ait cum ſpir. ⊖-i, & eſſentiâ camphoræ, cum oleo amygdalarum dulciũ extracta. 4. Ad phrenitidem porrò, maniam, delirium, & melancholiam Laudani Opiati uſum, tàm internum, quàm externum, commendari, ac in iis morbis rectè adhiberi, ſi cætera quoque auxilia, lege medendi neceſſaria non negligantur, conſentiens eſt à ratione & experientia confirmata ſententia. In phrenitide enim ardorem ſeu inflammationem membranarum cerebri conſumit: maniam & delirium, ſuavi ſomno ac totius corporis ſpirituumqùe exagitatorum requie introductâ, aufert: melancholicos verò mœſtos, & aliquantulum mente motos, exhilarat, cor ſpiritusqùe animales confortat.

IX. Vtrum Laudanum Opiatum debeat uſurpari in Febribus?

Febres, communi more loquendo, ſunt morbi cordis, balſamum naturæ, corrupto calore, per univerſam corporis œconomiam miniſterio arteriarum & venarum diſperſo, infeſtantes. Fiunt itaque febres ex conflictu & pugna balſami innati ſeu 🜍is naturæ, contra ⊖em mercurialem, exaltatione ſuâ illud ſulphur accendentem, atque ideò univerſum corpus affligentem, tanquam contra hoſtem inquilinum fortiùs inſurgentis. An ſotirellia noſtra opiata aliquid ad hunc ardorem febrilem ſopiendum, vel cauſas potiùs ejus auferendas, conferat? quæritur. Magnas compoſitiones Mithridatii & Theriacæ, in quibus eſt Officium crudum, ad intermittentes tertianas & quartanas, itemque peſtem, uſurpari rectè cenſent Galenici; utrum verò fiat id propter opium, quod ingreditur, an propter illas compoſitiones, adhuc dum in trivio deſiderantur exquiſitæ demonſtrationes. Cæterùm Laudanum opiatum in febribus, tùm intermittentibus, tùm ardentibus & continuis, quandoque, imò ſæpius, magni auxilii locum ſupplere poſſe, experientia convincit. Sic enim in intermittentibus, poſtquam aut humores craſſiores (in quibus ⊖ ille ☿ialis, ad illud 🜍 cordis accendendum, exaltationis ſuæ momenta ſeu fomentum ſuum poſſidet) per emetica aut cathartica; aut ſubtiles per diaphoretica legitimè expulſi fuerint, inſuperqùe, ſi aſtro ignis microcoſmici per phlebotomiam, ubi neceſſitas poſtulârit, conveniens & deſiderata reſpiratio facta fuerit, paroxyſmo febrili non penitus extincto, Laudanum opiatum deinceps juſtâ doſi, una vel duabus horis ante inſultum febrilem, in aquis appropriatis centaurii minoris, carduibenedicti, abſynthii, piloſellæ, veronicæ, tabaci, fol. citri, & ſimilium, datum mirificè prodeſt. Rationes petendæ ſunt ex generalibus illis quinque proprietatibus in Laudano laudabilibus, paulo antè *qu. 4.* enucleatis. Similiter febres continuæ, ardentes, malignæ & epidemicæ, poſt univerſalia Laudani opiati uſum non reſpuunt. Cum antea enim enumeratis vehiculis aquarum deſtillatarum juſtâ doſi datum vapores noxios & venenoſos, à centro ad cerebrum adſcendentes, præcipitat & conſumit, gravioribusqùe eo modo accidentibus, delirio, furori, maniæ, convulſionibus, epilepſiis, occurrit, eaqùe impedit: quin imò calorem febrilem extinguit, confortat ſpiritus cordiales, benignoqùe ſomno conciliato naturam ipſam reſtaurat, & adverſus profligatum hoſtem concitatiorem reddit. Laudato itaque Laudano opiato febribus Medicum ingenioſum dextrè mederi poſſe, res ipſa loquitur.

X. Vtrum Laudanum Opiatum catarrhoſis, tuſſientibus, aſthmaticis, & phthiſicis ſalutare ſit?

Morbos pulmonum & pectoris, tuſſim, catarrhum, aſthma, orthopnœam, dyſpnœam, phthiſin, curari à ſulphure communi, vel ejusdem floribus, receptum eſt in Medicorum ſcholis. Eſt autem in 🜍e vis quædam narcotica, imò totum 🜍 commune ſpagyricè in oleum, floresqùe, paregoricam anodynamqùe naturam poſſidentes, abit. Veriſimile igitur eſt, 🜍 commune propterea uſibus iſtis nonnihil accommodatum cenſeri, &, quia inſuper eidem inſit facultas detergendi, & conſolidandi, eò potentius ejusmodi affectibus viſum eſt. Quandoquidem itaque 🜍 commune eſt tale, correſpondens aliquatenus cum Laudano opiato, quæritur, utrum hoc in curationibus eorundem morborum thòracis locum reperire poſſit? Aff. ſed cum limitatione. 1. Defluxiones enim tenues & ſubtiles, aliquando iſtorum morborũ cauſas, ſiſtit & contemperat, doloremqùe hinc provenientem finit: itaque in talibus rectè dari poteſt, nec periculum ullum formidandum fuerit. 2. In tuſſi verò & aſthmate inveteratis, nullis præſertim reſpondentibus viribus, vel ubi recrementorum viſcosâ copiâ thorax quaſi diſtēditur, ſatius eſt abſtinere à Laudano, & præſtat emollientibus, ſeu viſciditatem illam diſſolventibus & abſtergentibus, uti. Utcunque enim Laudanum opiatum lenire poſſet; anguſtiam tamen pectoris mediocriter condenſando adaugeret. Quod ſi verò illud in minimâ doſi, cum oxymelite & aceto ſcillitico, aliisque ſyrupis ſeu lohoch expectorantibus, exhibetur, nonnihil inde auxilii ſperandum fuerit. Vide Crollium in uſu Laudani. Nunquam tamen extra oleam ipſius prudentiæ medicæ vagandum eſt, ſed cautè omnia peragenda. 3. Phthiſicos diutius à Laudani opiati uſu foveri poſſe, inquit l. d. Crollius neque id extra rem. Solent enim ii plerumque defluxionibus divexari tenuioribus: eas Laudanum ſiſtit & conſumit.

XI. Vtrum Laudanum opiatum in affectibus ventriculi proſit?

1. Ventriculum ſæpe enormes vomitus, à bile vel potiùs à tartarea quadam impuritate proficiſcentes, graviter afficiunt: nonnunquam flatulentæ diſpoſitiones circa hypochondria aut renes obſtructos ventriculo & nauſeam & vomitum pariunt. Ibi potiùs juſta fecum expulſio per emetica, hîc verò obſtructionis ſolutio per diuretica & diaphoretica locum habet; nec tamen, ſi hæc omnia fuerint diligenter prudenterqùe expedita, ad robur conciliandum ventriculo, ad laudani uſum non deſcendendum fuerit, iſtud nimirum ratione & neceſſitate expetentibus. 2. Ejusdem præterea Laudani uſus haut reformidandus fuerit, ubi debilitas ventriculi particularis cum dolore, vel ulcus in eodem, ad dolorem compeſcendum illud efflagitârint. Commodè autem in hujusmodi caſibus hauritur in ſyrupo cydoniorum, vel betonicæ, vel chamomillæ. 3. De cardialgia, quæ eſt gravis ſenſatio orificii ventriculi, quæritur, an illi Laudanum mederi poſſit? Utique id poſſe, non dubitamus; modò reliqua quoque fiant, quæ inprimis neceſſaria ſunt, & ventriculum à noxiis iſtis humoribus expediunt, qualia ſunt vomitoria; quorum applicationem præcedentem ſi deinceps Laudanum excipiat, error committi haut poterit.

XII. Vtrum Laudanum Opiatum ventris & inteſtinorum doloribus opitulari, ac in alvi & menſium profluviis utiliter propinari poſſit?

Hæ

Hæ ſane affectiones perquam celeriter compeſci deſiderant; nec enim procaſtinanda ſunt auxilia in talibus morbis, qui ſemel intromiſſi modum à captivis non accipiunt. Feliciùs autem ventris & inteſtinorum dolores colici & iliaci tolluntur, ſi alvus expedito ſuo officio reſponderit; ſecus provocanda erit laxativis aut clyſteribus. Quod ſi neque ſic doloribus contraventum fuerit, tum demum ad præſentiſſimum alexiterium laudani confugiendum, idque vel in vino albo generoſo, vel in oleo amygdalarum dulcium, aut mucilagine ſem. cydoniorum, exhibendum. Sæpe verò intolerabiles dolores, amicam quietem nimis longè differentes, etiam neglectis aliis auxiliis, ſibi tranquillitatem poſtulant: potiùs igitur hoc agendum fuerit, cùm ne ſic quidem ad averruncandam cauſam peccantem modus & occaſio ſuo tempore abeſſe poſſint. Profluvia alvi qualiacunque, ut & menſium immoderati curſus, feliciſſimè à Laudano propinato ſiſtuntur: nihilominus in dyſentericis cauſarum amolitio, cum leni adſtrictione, ſæpius & quidem principaliter attendenda. Simili prorſus modo, in hypercatharſi Laudanum laudabile eſt; ab ejus enim doſi unâ vel etiam alterâ, ſi opus fuerit, in vino rubello porrectâ, mox vehementes ſuperpurgationes quieſcunt, viresque collapſæ, à rectiùs conformatâ diæta & confortantibus aliis recollectæ, paulatim redeunt.

XIII. An Laudanum Opiatum in quibuslibet corporis morbis promiſcuè, & an ſæpius dandum?

Quicunque Laudano opiato in omnibus promiſcuè morbis, ſine præcedente cognitione eorundem, pharmacorumque delectu, tanquam panaceâ uti volunt, idem facere mihi videntur, quod Galenus *lib. 9. meth. med.* de Medicis imperitis inculcat, qui *ἑνὶ καλοποδὶ πάντας ὑποδέειν*, hoc eſt, omnes uno eodemque medicamento morbos curant. Nihil enim æquè ſuſpectum facit cujusque rei bonitatem, quàm, ſi citra aliquam bene agendi prudentiam ſupra modum vel commendetur, vel uſibus quibusvis accommodari poſſe deprædicetur. Hinc quamplurima, bene prudenterque olim excogitata, hac ſola plauſibili nimisq; hiſtrionicâ commendatione multum de ſua virtute perdidiſſe viſa ſunt. Ex agro itaque therapeutico exulet ejusmodi ſtultitia, quæ, quod ſolius eſt magiſterii ſapientum, univerſalitatis cujusdam momentum in aliis medicamentis ſtatuit. Panacea enim vera extra unam illam Deorum manum nulla eſt · nec directè de aliis prædicari poteſt. Sic itaque neceſſarium fuerat, probè cognitum habere, in quibusnam affectibus Laudani uſus approbatus vel ſecus eſſet. Cæterùm quoniam pro morborum ipſorum, aliquando invicem complicatorum, varietate nonnunquam uſu venire poteſt, ut, omnibus remediis undiquaque legitimâ methodo conquiſitis, & ad morbi cauſam auferendam adhibitis, nihilominus æger, dolore, languore, vigiliis, inquietudine, perpetuisque cruciatibus divexatus, nihil inde auxilii ſentiat, ſed, ſubinde vel protinus conſumtâ interioris balſami humiditate, coloreque paulatim expiraturo, jamjam ipſi moriendum ſit: in talibus caſibus Laudanum non poteſt non tanquam præſentiſſimum ſolatium prodeſſe. Dolores enim tollit, corroborat viſcera, naturalem calorem fovet, & miraculosè interdum operatur, aliis extra experientiæ aleam poſitis incredibilia. Non enim ſemel fieri meminimus, ubi, ejusmodi urgente neceſſitate, exigua Laudani affabrè facti particula iis, qui doloribus vehementiſſimis quaſi conſumti extremum viderentur halitum ducere, prudenter adminiſtrata, ut paulatim reviviſcere inciperent, tandemque aliis confortantibus, repetito inſuper ipſius Laudani uſu, priſtinæ ſanitati reſtituti fuerint. Tantum nimirum operæ poſitum eſt in ritè præparato, rectèque in uſum poſtulato ſeu adhibito Laudano opiato, magis magisque in rei medicæ inſignem laudem conceſſuro, ſi ſupercilioſi Medici religioſam vel potius præpoſteram de Opio ejusque artificiosâ præparatione & ſeparatione opinionem & vituperium jam dudum exuiſſent. Sed invidis inſidiisque nobis nec invidis nec inſidiis eſſe licet, vel etiam libet.

Sub finem hujus problematis etiam id in quæſtionem venit: an Laudanum opiatum ſæpius dandum? Neceſſitatem quidem nulla teneri lege, extra controverſiam eſt; eſt tamen modus in rebus, ſunt certi denique fines. In morbis itaque uſum Laudani expetentibus uno die bis illud non dandum cenſeo, niſi fortè extrema dolorum acerbitas, ſummaque neceſſitas aliud ſuaderet. Sic Crollius in doſi ſui Laudani illud in vehementiſſimo morbo ter exhibet; veſperi, mediâ nocte, & mane. Felix Wurzius, *cap. 19. part. 3. chirurgiæ*, in vulnerum convulſionibus & inquietudinibus intra ſingulas binas horas Laudani anodyni doſin quater repetit, idque ſine omni periculo fieri, ſanctè affirmat. Præterea doſis Laudani nulla 4. grana ſuperet: niſi forſan in robuſtioribus acerbitas & magnitudo morbi ejusdem 6. grana ab initio imperet.

XIV. An Laudanum Opiatum vitam proroget?

Opium crudum ab Indis avidiſſimè expeti, nec eos opii ſæpius comeſti uſu deinceps carere poſſe, ſinguli, qui de rebus Indicis ſcripſere, autores, confitentur uno ore omnes; quin imò quotidiana experientia apud ipſos fidem invenit, eos protinus emori, ſi aut eſu opii interdicantur, aut largioris vini uſu loco opii prohibeantur. Veriſimile itaque nonnullis eſſe poteſt, Opium vitæ quoque prorogandæ quamplurimum opis afferre: Indi enim & Orientales à perpetuato uſu opii vivunt; à præpedito verò vel prorſus intermiſſo emoriuntur. Verum enim verò, hoc fieri *κατὰ τὸ συμβεβηκός*, nemo non videt. Opii enim uſus tranſiit apud Indos in familiare quaſi alimentum, quo poſteaquam ægerrimè carent, non poteſt non ipſa ſimul natura aliquid pati, diſſolvenda protinus, niſi à compari conſuetudine, vel ſuccedaneo ſimili, quale eſt vinum, viciſſim adjuta fuerit. Continuatus itaque Opii uſus apud Indos vitæ diuturnioris cauſa per ſe non eſt. Etſi enim aliquid agat, ne abrumpatur vita, ſi profuerit: eſt tamen tale quid, ſine quo idem effectus effici potuerit. Cæterùm de Laudano opiato non immeritò polliceri quis poſſit, idem meritò iis accenſendum medicamentis eſſe, quæ naturâ ſuâ longam, hoc eſt, ſanam vitam conciliare dicuntur. Putredinem enim ac reſolutionem ſubterfugere eſt ipſam mortem evitare, aut diutiſſimè eandem inhibere: huc videlicet victus conveniens tendit, huc ſpectant medicamenta dyſcraſian corrigentia, obſtructiones aperientia, abſumtum reficientia, quantum nimirum hominis expeditâ prudentiâ obtineri poteſt. Sotirellam autem Opiatam inprimis putredini reſiſtere, balſamumque internum conſolidare, robur præterea partibus imbecillioribus afferre, non potuit eſſe obſcurum ex quinque ejus proprietatibus, paulo antea *in quæſt. 5.* oſtenſis. Non parum deinde imminuunt dies vitæ noſtræ intempeſtivæ vigiliæ, curæ animi variæ, immodicæ perturbationes, triſtitia ſeu mœror continuus: nativus etenim calor inde diſtrahitur, refrigeratur, aut quaſi coactus præfocatur, utcunque ſalubris victus ratio non neglecta fuerit. Omnium v. ſymptomatum validiſſimum exiſtit ad virium exolutionem, mortemque celerem invehendam, dolor ingens: confertim nimirum proſtratis facultatibus, fugatoque concitatiùs ad ima calore, ille hac ratione diſſolvitur & extinguitur. Verùm iſtis omnibus perfectè ſolidèque ſuccurrit Laudanum tempeſtivè exhibitum. Quidni igitur idem inter ea connumerandum ſit, quæ vitæ humanæ diutius ſuſtentandæ inprimis neceſſaria extant?

XV. An

XV. An Laudanum Opiatum ſemel factum diu in vigore ſuo conſervari poſſit?

Hæc utiliſſima quæſtio, tanquam colophon, totam hanc, quam de opio ejusq́ue laudabili præparatione hactenus texere placuit, claudit contemplationem phyſico-medicam, in analecta, per theoremata & exegeticam eorundem diſceptationem, legitimâ methodo contractam, & ſufficienter pro dignitate rei ipſius hactenus explicatam. Neque verò er[illegible]ra rem, de germano ipſius Laudani opiati uſu ita ſtatuiſſe, ut ſimul de ejus ſemel facti & præparati duratione & conſervatione nonnihil conſtaret. Determinandum itaque fuerit, utrum ſemel factum in vigore & fortitudine ſuâ illud diu conſervari poſſit? De omnibus & ſingulis medicamentis Spagyricis ab antiquo hactenus conclamatum eſt, eſſe illa durabilia, & in multos annos ſufficientia. Sunt enim pura, vel ab omnibus inquinamentis liberata, adeoq́ue, tanquam eſſentialia, magno ſuo privilegio præ cæteris mixtis gaudent, utpote quæ non tàm facilè ab externâ elementorum injuriâ corruptibilia ſeu putreſcentia, ſed, quaſi in ſeſe coacta & acta, longiſſimè omnem perditionem amolientia, exiſtendi continuationem ſortita ſint. Hunc ergò finem habent, ut ſint porrò, quod ſemel in præparatione, ſeu ſeparatione, eſſe cœperunt. De Laudano opiato idē omninò dici confirmariq́; poteſt. Abjectis enim ab opio omnibus impuritatibus, ſulphureq́ue fœtido & immaturo penitus excuſſo, per nobilia menſtrua illud exaltatum eſt: acceſſerunt in formam elixiris illi transferendo magiſteria coralliorum & perlarum ſemper durabilia, quæ omnia eſſentia croci, per ſpir. vini extracta, tandem conjunxit in unum compoſitum. Ab illis habet conſiſtentiam; ab hac verò & ab opii eſſentiâ cohæſionem: ad conſiſtentiam ſiccitas inſerviebat; ad cohæſionem humidum interpoſitum eſt. Ex his itaq; partibus componentibus puris & eſſentificatis Laudanum conſtans in multos annos durare, vigoremq́ue ſuum in integritate, ad effectus omnes, de quibus hactenus diximus, feliciter edendos, fortiter retinere poteſt: modò, diligenter, vel vitro, vel ſcatulâ, clauſum, ſervetur in loco temperato, id eſt, non nimis calido, nec nimis frigido. Ibidem enim fortius exiccaretur; hic verò ab attracta humiditate ſubventitiâ facilè diſſolveretur: quod utrumque præter noxam & virium perditionem accidere nequiret.

Concluſio.

Hæc itaque de Opii Laudaniq́ue opiati naturâ & præparatione congeſſimus; quæ procul dubio elegantiùs & ſolidiùs pertractanda fuiſſent. Sed quia, in hac humanâ caligine rerum omnium nos ignaros eſſe, & palàm & cordatè profitendum, quomodo hac ipſâ pertractatione ſperare potero, me ſingula exquiſitè ſolidèq́ue abſolviſſe, cùm ejusdem imbecillitatis naturâ ſim ſoboles, & alumnus inſtitutione? Δευτέραι φροντίδες ſuo tempore præſtabunt aliquid elaboratius: nec poſterior ætas, ſi quæ futura eſt, ad inveniendum infelicior, ad elaborandum verò ignavior extitura eſt.

INDEX THEOREMATUM ET QUÆSTIONUM hujus Tomi V.

(*Numerus paginam, literæ* a. b. *paginæ columnas denotant.*)

Prolegomena 4. a

THEOREMA I.

De Opii Etymologia 4b

Quæſtiones.

I. An ὀπὸς ſimpliciter & per ſe apud Hippocratem ſit Opium? ibid.

II. An Dioſcorides & Galenus τῷ ὀπῷ ſimplici ſignificatione uſi ſint pro Opio? ibid.

III. Utrum Opium à Dioſcoride rectè vocetur δάκρυον, à Plinio verò Sapor? ibid.

IV. Utrum apud veteres ὀπὸς ſit lac, ſeu fici ſuccus lacteus? 5.a

THEOREMA II.

De Opii loco natali 5.a

Quæſtiones.

I. An Opium Thebaicum Thebis proveniat? 5.b

II. An Opium in Cairo, Syria & Alexandria fiat? ib.

III. An ex Cambaja & Decan afferatur? ibid.

IV. An Opium præparetur hodie in Turcia ſeu Natolia? ibid.

V. An Opium in Europa, Gallia & Germania ſcilicet, fieri produciq́; poſſit? 6.a

THEOREMA III.

De Opii materia 6.a

Quæſtiones.

I. An Meconium ſit Opium? 6.b

II. An Amfiam ſit Opium? ibid.

III. An Aſſeral ſit Opium? ibid.

IV. An Turcarum Maslach ſit Opium? ibid.

V. Utrum Opium ex papavere nigro, an albo, fiat? 7.b

VI. Utrum ex caule, an capitibus papaveris? ibid.

THEOREMA IV.

De Opii collectione, & ſincerum ab adulterato dignoſcendi ratione 7.b

Quæſtiones.

I. Quomodo conficiatur Opium? 8.a

II. An Opium adulteretur? ibid.

III. An & quomodo Opii adulteratio poſſit deprehendi? ibid.

IV. An Opium in Europam exportatum ſit legitimum? 8.b

THEOREMA V.

De Opii qualitatibus 8.b

Quæſtiones.

I. Utrum Opium ſit calidum? 9.a

II. Si Opium calidum quomodo tamen narcoticum eſt? 10.a

III. Unde ergò dependeat vis narcotica Opii? 10.b

THEOREMA VI.

De Opii præparatione Veteribus uſitata 11.a

Quæſtio.

An Opii præparatio apud veteres ſit genuina? ibid.

THEO-

THEOREMA VII.

De Opii præparatione ſecundum Recentiores 11.b

Quæſtiones.

I. *An ab Opio vis narcotica auferri poſſit?* 12.a
II. *An conſiſtat illa vis narcotica in ſulphure ſtupefactivo noxio?* 12.b
III. *Quomodo illud ſulphur auferendum, ſeu ſeparandum ſit?* ibid.
IV. *Quomodo ablato ſulphure fœtido noxio tinctura Opii elicienda?* 14.a
V. *Vtrum Laudanum meliùs ſinè hyoſcyami eſſentia fieri poſſit?* ibid.
VI. *Vtrum Laudanum fieri poſſit ſinè Opii eſſentia?* 14.b
VII. *Vtrum ex metallis & mineralibus confici poſſint anodyna?* ibid.
VIII. *Vtrum & quomodo vis vitrioli narcotica extrahi, inq; uſum converti poſſit?* ibid.
IX. *Quomodo Laudana cum ſulphure vitrioli anodyno ad epilepſiam & ſuffocationem uteri parentur?* 17.b
X. *Vtrum in compoſitionem Laudani eſſentiæ aliæ & olea deſtillata ritè ingrediantur?* ibid.

THEOREMA VIII.

De Opii præparati uſu. 18.a

Quæſtiones.

I. *Vtrum Opio uſi ſint veteres?* 18.a
II. *Vtrum eodem utantur Recentiores?* ibid.
III. *Vtrum Opium ſit efficax ad ſtimulandam Venerem?* 19.a
IV. *Vtrum præſtet Opio crudo, quàm præparato, uti?* 19.b
V. *Quænam ſint potiſſimæ proprietates Laudani affabrè & artificioſè parati* ibid.
VI. *Vtrum Laudanum opiatum tutò dari poſſit?* 20.a
VII. *Vtrum conciliando ſomno auferendoq; dolori tantum, an aliis morbis Laudanum Opiatum rectè ac commodari poſſit?* 20.b
VIII. *Vtrum Laudanum opiatum ad morbos capitis, imprimis epilepſiam, conducat?* ibid.
IX. *Vtrum Laudanum opiatum debeat uſurpari in febribus?* 21.a
X. *Vtrum Laudanum opiatum tuſſientibus, catarrhoſis, aſthmaticis & phthiſicis ſalutare ſit?* 21.b
XI. *Vtrum Laudanum opiatum in affectibus ventriculi proſit.* ibid.
XII. *Vtrum Laudanum opiatum ventris & inteſtinorum doloribus opitulari, ac in alvi & menſium profluviis utiliter propinari poſſit?* ibid.
XIII. *An Laudanum opiatum in quibuslibet corporis morbis promiſcue, & an ſæpius dandum?* 22.a
XIV. *An Laudanum opiatum vitam proroget?* 22.b
XV. *An Laudanum opiatum ſemel factum diu in vigore ſuo conſervari poſſit?* 23.a

INDEX
Rerum & Verborum hujus Tomi V.

(*Numerus paginam, literæ a. & b. paginarum columnas* [illegible])

A.

ACetum *inter omnia veget*[illegible] *ad naturam vitrioli accedit* 13.b
menſtruum optimum ad extrahendum eſſentiam opii 14.a
prolect[illegible] *ſpiritus malignos & vertiginoſos in ſe habet* 13.b
vim in ſe habet paregoricam ibid.
Achaia [illegible] *Opium olim ſubminiſtravit.* [illegible]
A[illegible] *Arabiæ felicis* [illegible]*, Opium hodie ſuppeditat* 5.b
Adeps *Opio miſtus quomodo deprehendatur* 8.b
A[illegible] *Opium promit.* 5.b
Ægypto & Æthiopiæ contermina regio Thebaica olim opium miſit. 5.a.b
Alexandria *Op*[illegible] *& minus bonum* 5.b
Alvi *fluxus opio curantur* 22.a
A[illegible] 11.a
A[illegible] *idem quod opium* 6.b
A[illegible] 18.b
A[illegible] *metallis & mineralibus an confici poſſint* [illegible]
A[illegible]
A[illegible] ibid.
Archigenis *Confectio opium in ſe habet* 18.b
A[illegible]
A[illegible]
Arthritis *opio levatur* [illegible]
A[illegible] *opium primo invenit* [illegible]
[illegible] *opium ſolum Dioſcoridi* [illegible] 8.b
Aſperitas *Opii adulterationis* [illegible] *præbet* [illegible]
Afferal *Turcis idem, quod Ægyptiis* [illegible] *ab Opio & Maſlach differt* [illegible]
eſt ſpecies Banques [illegible]
paratur ex planta [illegible]
[illegible] ibid.
requiem & malorum [illegible]
A[illegible] *Ægyptiis idem quod T*[illegible] *Afferal* 6.b
[illegible] *Afferal* [illegible]
A[illegible] *magna opio gaudet* [illegible]
[illegible]
[illegible] *conveniens menſtruum ad Opii extractionem* [illegible]
Aurea Alexandrina *Nicolai* [illegible]
[illegible] *dolores opio ſedantur* [illegible]
Aurum *in vitriolum rub*[illegible] *reduci poteſt* 14.b

B.

Banques [illegible]
[illegible] *Venerem* ibid.

C.

[illegible]

C[illegible]da

Calida *opiatis admiſcebantur à Veteribus* 11.a
quo ſine opio & opiatis adjiciantur 11.b
Calix *in papavere quid ſit* 7.b
Cambaja, *carcax papaver prægrande producit* 5.b
ex quonam papavere opium conficiat 7.b
glaucium an producat 8.b
regio eſt Indiæ Orientalis fertiliſſima 5.b
thymelaam an producat ibid.
Cambajanum opium *quale* ibid.& 8.b
an glaucio adulteretur 5.b
an legitimum 8.b
an thymelæa adulteretur 5.b
Camphoræ ſpiritus *ſeu oleum quomodo paretur* 17.b
laudanum epilepſiæ appropriatum reddit 12.a
17.b.20.b
Capitis dolor *opiatis ſedatur* 20.a.b.18.b
Capivaccii *ſententia de qualitatibus Opii* 10.a
Carcax *papaver prægrande Cambaja producit.* 5.b
Cardialgia *quid ſit* 21.b
opiatorum uſum admittit ibid.
Carus *an opiatorum uſum admittat* 20.b
Caryophylli *opium corrigunt ſecundum Veteres* 11.a
Caſſia lignea *opium corrigere credita* ibid.
Caſtoreum *opium corrigere perhibetur* ibid.& 18.b
Catalepſis *an opii uſum admittat.* 20.b
Catarrhus *opiatorum uſum expoſcit* 18.b.21.b
Caulis papaveris *in Opii collectione non inciditur* 7.b
Cephalalgia & Cephalæa *à Laudano opiato demulcentur* 20.b
Cerebri affectibus *opiata opitulantur* ibid.
Chelidonii ſucco *an opium adulteretur* 8.b
χύλ◎ ſuccus *quid propriè ſit* 5.a
Chymicum *experiri non opinari decet* 13.b
χυμὸς ſapor *quid propriè ſit* 5.a
Cinamomum *opii corrigens juxta veteres* 11.a
Citriorum malorum ſuccus *eſt conveniens menſtruum pro extractione Opii* 14.a
Clavorum tibiis equorum adnaſcentium extractum *quomodo paretur* 17.b
Colici dolores *ab Opio ſedantur* 22.a
Colligendi *opium modus* 8.a
Coma *an opiatorum uſus admittat* 20.b
Confectio *Archigenis opium requirit* 18.b
Continuæ febres *an opii uſum ferant* 21.a
Convulſionibus *occurrit Laudanum opiatum* ibid.
Correctio Opii *neceſſaria eſt* 18.b.19.b
qualis Recentioribus in uſu 11.b
qualis Veteribus uſitata 11.a
Crocus *calidus eſt, & tamen narcoticus.* 9.b.10.a.b
opium corrigit ex ſententia Veterum 11.a.18.b
Crollii proceſſus *in laudani compoſitione* 12.a.18.a
laudanum *in epilepſia minus utile* 21.a

D.

Damocratis *mithridatium opium requirit* 18.b
Δάκρυον lachryma *quid propriè ſit* 5.a
Decan *fertiliſſima Indiæ Orientalis provincia Opium ſuppeditat* 5.b
ibid.
Defluxiones *opio curantur* 21.b
Delirium *laudani uſum admittit* 20.a.b. 21.a.b
Dentium dolores *opio ſedantur* 18.b
Diaphoretica *calida ſunt* 9.b
Diarrhœa *uſum opii interdum admittit* 18.b
Dolor capitis *Opio ſopitur* 20.a.b.18.b
aurium, dentium, narium, oculorum, *opio ſedatur* 18.b
ventriculi *opio ſedatur* 18.b.21.b
ventris & inteſtinorum *opio ſopitur* 21.b. ſeq.
Dyſenteria *opiatorum uſum quandoq; expoſcit* 18.b
Dyſpnœa *an opiatorum uſum requirat* 21.b

E.

Epidemicæ febres *an opiatorum uſum admittant* 21.a
Epilepſiæ *ſanandæ laudanum opiatum auxilium fert.* 20.a.b. 21.a
Eſſentia hyoſcyami *an in laudani compoſitionem recipienda* 14.a
opii *quonam menſtruo extrahenda* ibid.
quonam modo ibid.
Euphorbium *opium corrigit juxta Veteres* 11.a
Europa *an opium producere poſſit* 6.a
an legitimum opium aliunde accipiat 8.b
Experientia *eſt baſis Chymiæ* 13.b
Extractum *clavorum in tibiis equorum* 17.b
laudanum paſſionibus hyſtericis appropriatum reddit 12.a.17.b

F.

Facultates Opii 9.& 10.
laudani opiati *in genere* 19.20
in ſpecie 20.b
Febres *an opii uſum requirant* 21.a
ardentes, continuæ, intermittentes &c. ibid.
Fernelii *ſententia de uſu opii* 18.b
Fluxiones *opium reſtringit* 19.b
Frigida *in ſummo gradu pleraque non ſunt ſoporifera* 10.a
Furori *laudanum occurrit gratum* 21.a

G.

Glaucium *Cambaja an producat* 8.b
glaucio *vitiatum opium quomodo dignoſcatur* ibid.
glaucio *an opium Cambajanum & Aſianum adulteretur* 8.a.b
Gonorrhœæ *convenit opii uſus* 18.b
Gummi *adulteratum opium quomodo dignoſcatur* ibid.

H.

Hæmoptoicæ *paſſioni opium confert* 18.b
Hæmorrhoides *opium curat* 18.b
Helenes *remedium languores cordis auferendi, hilaritatem verò introducendi* 12.a
Hyoſcyami eſſentia *an laudani compoſitioni addenda* 14.b
Hypercatharſis *ab Opio & Opiatis ſiſtitur* 22.a

I.

Iliaci dolores *opiatis ſedantur* 22.a
Intermittentes febres *opii uſum non raro requirunt* 21.a
Inteſtinorum dolores *opio ſopiuntur* 21.b.ſeq.

L.

Lacryma *quid propriè ſit* 5.a
Lactucâ *vitiatum opiatum quomodo dignoſcatur* 8.b
Laudanum opiatum *unde dictum* 12.a
quid ſit 11.b
ſotirella opiata dici poteſt 20.a
cur Nepenthes à Zvvingero dictum 12.a.19.b
an hyoſcyami eſſentiam recipere debeat 14.b
an alias eſſentias & olea deſtillata 17.b
quomodo conficiendum 12.a
quò ſimplicius eò melius ibid.
ſemel factum diu durat 23.b
quomodo ritè aſſervandum ibid.
quomodo adminiſtrandum 22.a
quâ quantitate 22.b
quoties? ibid.

Laudanum opiatum *in omnibus promiſcuè morbis non dandum* 22.a
an vitam proroget 22.b
in catalepſi, lethargo, comate, caro, an exhibendum 20.b
an tuto dari queat 20.a
ejus facultates in genere 19.b
in ſpecie 20.b
ejus uſus in apoplexia ibid.
arthritide 18.b. 20.a
aſthmate 21.b
aurium doloribus 18.b
caloribus febrilibus 21.b
capitis doloribus 20.b
cardialgia 20.a. 21.b
catarrho 21.b
diarrhœa 18.b
dentium doloribus ib.
doloribus 19.b
dyſenteria 18.b
Laudani opiati *uſus in dyſpnœa* 21.b
epilepſia 20.a.b. 23.b
febribus 21.a
fluxionibus 19.b
furori 21.a
hypercatharſi 22.a
inteſtinorum dolore ibid.
mania 21 a
matricis affectibus 12.a. 17.b. 20.a
melancholia 21.a
menſium profluvio 22.a
narium doloribus 18.b
oculorum doloribus ibid.
orthopnœa 21 b
paralyſi 20.b
phrenitide 21.a
phthiſi 21.b
ſomno benigno conciliando ibid.
ſpiritibus cordialibus languentibus ibid.
ſtupore 20.b
teneſmo 18.b
tuſſi 21.b
ventris doloribus 22.a
ventriculi doloribus 20.a. 21.b
vertigine 20.b
vigiliis nimiis 20.a
vomitu 20.a. 21.b
Laudanum ſinè opio *an fieri poſſit* 14.b
fit ex ſulphure vitrioli narcotico 12.a
Laudanum ſpecificum *ad epilepſiam* 12.a. 17.b
ad ſuffocationem uteri ibid.
Lethargus *an opiatorum uſum admittat* 20.b
Libavii *ſulphur narcoticum ab opio removendi modus duplex* 13.b
victrioli narcoticum extrahendi ratio 15.b
proceſſuum refutatio 13.b
Limonum ſuccus *conveniens ad extrahenda Opii eſſentiam menſtruum eſt* 14.a
Liquor *quid propriè ſit* 5.a
Lues *Venerea opio quoque curatur* 18.b
Lupulus *calidus eſt, & tamen narcoticus* 9.b
Lumbago *opio levatur* 20.a

M.

Malignæ febres *opiatorum uſum non raro admittunt* 21.a
Mania *Opii uſu curatur* ibid.
Maslach *idem cum Opio, ſecundùm Scaligerum & Quercetanum* 6.b
diverſum ab Opio, ſecundùm Thurnheuſerum & authorem 7.a
diverſum ab Aſſerale 6.b
quomodo præparetur 7.a
Marcelli Denati *ſententia de qualitatibus Opii, ejusq; refutatio* 9.b
Maſtix *unde* 14.a
Matricis affectus *opiatis levantur* 18.b. 19.a
Matthioli *ſententia de qualitatibus Opii* 9.b
Meconium *quid ſit & unde fiat* 6.b
an ſit Opium ibid.
Opio ignavius eſt ibid.
Medicamenta *Spagyrica longiùs durant quàm vulgaria* 23.a
narcotica quænam ſint 3
Melancholia *opiatorum uſu curatur* 21.a
Menſium fluxus nimius *opiatis ſiſtitur* 22.a
Menſtrua ad extrahendum opium correctum *quænam optima* 14.a
Metallicis *pleriſque ſulphur narcoticum ineſt* 11.a. 12.a. 14.b
Mithridatium *opium recipit* 18.b
Myrrha *opium corrigit juxta Veteres* 11.a

N.

Narcotica vis Opii *unde dependeat* 10.b
eſt in ſulphure quodam 11.a. 12.b
an ab opio auferri poſſit 12.b
quomodo auferenda 11.b. 13.a
vis *metallicis & mineralibus pleriſque ineſt* 11.a. 12.a. 14.b
vitrioli quomodo extrahenda 14.b
Narcotica *pleraque calida ſunt* 9.b
Nardus Indica *Opium corrigit ſecundùm Veteres* 11.a
Narium *dolores Opio ſedantur* 18.b
Natolia *an opii locus natalis* 5.b
Nepenthes *Zvvingero idem quod Laudanum opiatum* 12.a. 19.b
Nicolai *Aurea Alexandrina opium requirit* 18.b
Nitro *ſulphur narcoticum ineſt* ibid.

O.

Oculorum *affectus & dolores Opio ſedantur* 18.b
Odorata *omnia calida ſunt* 10.a
Oſium *Mauritanis idem quod opium* 6.b
Oleum Camphoræ *quomodo paretur* 17.b
Opinari *in Chymia eſt vim inferre experientia* 13.b
Ὄπιον *apud Hippocratem non reperitur* 4.b
apud Galenum verò reperitur ibid.
Ὀπισμὸν *Libavio ignotum fuit* 13.b
Ὀπισμὸς 8.b
Opium Achaicum 5.b
Adenum 5.a.b
Alexandrinum ibid.
Apulicum *an legitimum* 6.a
Aſianum 5.b
Dioſcoridi tantum notum 8.b
Cairianum 5.a.b.
Cambajanum *quale* 5.b. 8.b
an legitimum 8.b
an glaucio adulteretur ibid.
au thymelæâ adulteretur 5.b
Decanum ibid.
Syrium 5.a.b
Thebaicum, *an Thebis proveniat* ibid.
Turcicum, 5.b
unde dictum 4
inter medicamenta narcotica excellentiſſimum & efficaciſſimum eſt 3

Opium *an rectè ὀπὸς μήκωνος, lachryma, à Dioſcoride vocetur* 4.b
an rectè ſapor & ſuccus à Plinio ibid.
quid ſit 4.a
an genuinum quod in Europam exportatur 8.b
unde paretur 7.b
ex quonam papavere fuerit collectum Veteribus ibid.
ex quonam hodiè fiat in Cambaja & Natolia ibid.
an ex caule, an capitibus ibid.
differt à Meconio 6.b
differt ab Aſſi vel Aſſeral 6.b
differt à Maslach ibid.
quomodo conficiatur 8.a
an & quomodo adulteretur 8.b
an & quomodo adulteratum dignoſcatur ibid.
an in Europa fieri poſſit 6.a
an in Turcia vel Natolia hodiè preparetur 5.b
glaucio fucatum quomodo dignoſcatur 8.b
lactucâ vitiatum quomodo agnoſcatur ibid.
gummi an admiſtum habeat, quomodo deprehendatur ibid.
adipe vel ſevo permiſtum quomodo innoteſcat ibid.
Chelidonii ſucco an adulteretur ibid.
amarum eſt & guſtu acre 9.b
calidum eſt 9.a
correctione opus habet 18.b. 19.b
gravem odorem ſpirat 10.a
odorem fœtidum per totum corporis habitum diſpergit ibid.
pruritum excitat ibid.
preparatum non crudum in uſum medicum adſciſcendum 18.a
ſitim inducit 10.a
ſudorem movet 9.b
vim ſtupefaciendi exiccatione amittit 13.a
Venerem non ſtimulat 19.a
Venereum actum prolongat ibid.
quomodo correctum à Veteribus 11.a
quomodo verè preparetur 11.b
quomodo à ſulphure narcotico ſeparandum 12.a. 13.a
juſto diutius & vehementiùs non eſt torrendum 13.a
quonam menſtruo extrahendum 14.a
quonam modo ibid.
in laudanum quomodo traducendum 12.a
plurimarum compoſitionum baſis 18.b
ingreditur Theriacam, Mithridatium, philonia, athanaſiam, requiem Nicolai, triphe-ram magnam, pilul. de Cynogloſſa ibid.
quomodo adminiſtrandum 22.a
Opii *adulteratio* 8.b
adulterati dignotio ibid.
collectionis modus 14.a
correctio Veteribus uſitata, vel caſtigatio potius 11.a
an ſit genuina ibid.
Libaviana quomodo fiat & an ſit genuina 13.b
definitio 4.a
differentia ab Aſſeral 6.b
à Maslach ibid.
à Meconio ibid.
electio & nota 8.b
eſſentia, quomodo extrahenda & quonam menſtruo 14.a
etymologia 4.b
loci natales 5.a, b
materia 6.a.b
narcotica vis unde dependeat 10.b
in ſulphure quodã ipſius reſidet 11.a.12.b
an ab opio auferri poſſit 12.b
quomodo auferenda ibid.
preparatio vera 11.b
qualitas manifeſta, calida 8.9.
occulta, narcotica 10.b
traductio in laudanum 12.a
Opii & Opiatorum *uſus an admittendus* 18.a
an tutus 20.a
non ſit nimis frequens 22.b
in capitis doloribus 20.b
Opopyra magna *opium requirit* 18.b
Ὀπὸς *ſimpliciter & per ſe apud Hippocratẽ eſt ſilphium & coagulum, non opium* 4.b
apud Veteres etiam ſuccum fici denotat 5.a
quid propriè ſit ibid.
Orthopnœa *opiatorum uſum quandoq; requirit* 21.b

P.

Paralyſis *an laudani opiati uſum admittat* 20.b
Philonia *opium requirunt* 18.b
Phrenitis *opii uſum requirit* 21.a
Phthiſis *opii uſum non omnino reſpuit* 21.b
Phthiſici *diutiùs à Laudani uſu foventur, quàm aſthmatici* ibid.
Podagra *opiatorum uſum ſæpe expoſcit* 20.a

Q.

Quercetani *ſententia de Maslach Turcarum* 6.b
preparatio opii 13.a.14.a

R.

Requiem *Nicolai opium ingreditur* 18.b
Rhabarbarus *vim purgandi toſtione deponit* 13.a
Roſa *quomodo frigida* 10.a

S.

Sagapenum *unde* 14.a
Sali gemmæ *ſulphur narcoticum ineſt* 11.a
Sanguinis ſputum *opiatis ſiſtitur* 18.b
concretio *opio ſolvitur* ibid.
Sapor *quid propriè ſit* 5.a
Scaligeri *ſententia de Aſſeral & Maslach* 6.b
de qualitate Opii 9.a
Scapus *in plantis quid* 7.b
Seculum hodiernum *adversùs opium non adeo rigidum eſt ut priora ſecula* 18.b
Seraphinum *unde* 14.a
Singultui *confert opium* 18.b
Sitim inducentia *calida* 10.a
Soporifera *pleraque calida ſunt* 9.b
Spagyrica medicamenta *omnia ſunt durabilia & in multos annos ſufficientia* 23.a
Spiritus Camphoræ *quomodo paretur* 17.b
maligni *in opio extracto & figi & alterari falſum* 13.b
Splenicis affectibus *prodeſt opium* 18.b
Stupor *opium non admittit* 20.b
Succus *quid propriè ſit* 5.a
aurantiorum, citriorum, limonum, granatorum, conveniens ad extractionem Opii menſtruum 14.a
Sudorifera *omnia calida ſunt* 9.b
Suffocatio uteri *opiatis levatur* 19.a. 20.a
Sulphur fœtidum, *vera narcoſeos cauſa in opio, quomodo ſeparandum* 12.a. 13.a
vitrioli anodynum *an detur* 11.a.14.b
quomodo auferatur 15.a
narcoticum ſulphuri communi ineſt 11.a

T.

Teneſmo *confert opium* 18.b
Theriaca *opium recipit* 18.b
Thurnheuſeri *de Maslach aſſertio* 7.a
Tinctura *opii* 14.a
Triphera *Magna Nicolai opium requirit* 18.b
Turcia, *an opii locus natalis* 5.b
Tuſſis *opiatorum uſu ſedatur* 21.b

V.

Vegetabilibus *quamplurimis ſulphur narcoticum ineſt* 11.a
Venerem *non ſtimulat opium* 19.a
Venereum *actum opium prolongat* ibid.
Ventriculi dolor *opiatorum uſu mitigatur* 18.b. 20.a. 21.b
Ventris *dolores opio ſedantur* 21.b. 22.a
Vertigini *opium medetur* 10.b
Vigiliæ nimiæ *ab opiatis corriguntur* 20.a
Vinum *calidum eſt & tamen narcoticum* 9.b
Viola *quomodo frigida* 10.a
Vis narcotica opii *vide in* Opio.
Vitriolo *ſulphur narcoticum ineſt* 11.a. 14.b
quomodo auferendum 15.a
Vomitus *opiatis ſiſtitur* 20.a. 21.b
Urinis purulentis *conducit opium* [illegible].b
Uteri ſuffocatio *opiatis ſedatur.* 19.a. 22.a.

FINIS TOMI V.